DE ECCLESIAE NOTIONE QUID WICLIF DOCUERIT.

DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM

ORDINIS THEOLOGORUM SUMME REVERENDI AUCTORITATE

IN ACADEMIA FRIDERICO-ALEXANDRINA ERLANGENSI

AD HONORES LICENTIATI THEOLOGIAE

RITE CAPESSENDOS

DIE XXV. JULII MDCCCXCI HORA X

IN AULA PUBLICE DEFENDET

DR. FRIDERICUS WIEGAND

CAND. REV. MIN.

LIPSIAE,

IN LIBRARIA ACADEMICA (GUIL. FABER).

1891.

DE ECCLESIAE NOTIONE QUID WICLIF DOCUERIT.

DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM

ORDINIS THEOLOGORUM SUMME REVERENDI AUCTORITATE

IN ACADEMIA FRIDERICO-ALEXANDRINA ERLANGENSI

AD HONORES LICENTIATI THEOLOGIAE

RITE CAPESSENDOS

DIE XXV. JULII MDCCCXCI HORA X

IN AULA PUBLICE DEFENDET

DR. FRIDERICUS WIEGAND

CAND. REV. MIN.

LIPSIAE,

IN LIBRARIA ACADEMICA (GUIL. FABER).

1891.

I. Quid Augustinus et Thomas de ecclesia docuerint 3
II. Quemadmodum Wiclif de praedestinatione doctrinam ad notionem ecclesiae conformandam adhibuerit 11
III. Quid de ecclesiae Romanae sacramentis ac ordine Wiclif senserit . . 34
IV. Quantum legem Dei ad bene vivendum valere Wiclif putaverit . . 58
V. Quemadmodum Wiclif et de praedestinatione et de paupertate doctrinam ad ipsius ecclesiae usum adhibuerit 92

Studiorum in Wiclifio versantium per hos viginti annos magna commutatio facta est, cum qui de eo ab Lewisio[1] et Vaughanio[2] conscripti sunt libri operi Lechlerii[3] praeclarissimo cesserunt. Qui quod de illius vita scripsit et his temporibus omnibus probatur et sequentibus annis probabitur. Quem sequuntur plus minusve et Pennington[4] et Buddensieg[5] et Vattier[6]. Neque tamen satis accurate disseruit de doctrina Wiclifii. Quamquam enim ne apud illum quidem aut expositio aut iudicatio doctrinae Wiclifianae desideratur, illud non omittendum nobis est Lechlerio non licuisse codices penitus perspicere neque illi praesto fuisse novas illas editiones, quae inde ab anno MDCCCLXXXII quotannis aliquot a Societate Wiclifiana adiuvantibus Buddensiegio Loserthio Pooleio aliis curantur. Quo facto cum viris doctis liceat quae docuerit Wiclifius accuratius et cognoscere et exponere, Hauck[7] Seeberg[8] Loofs[9] Harnack[10] in illis libris quos de doctrinae ecclesiasticae historia composuerunt amplius quam prioribus temporibus fieri potuit de illo disserentes magnae utilitati fuerunt versaturis postea in Wiclifii doctrina.

---

1) Londini 1720. Oxoniae 1820.

2) Londini 1828, ed. II. 1831. Londini 1853.

3) Johann von Wiclif u. die Vorgeschichte d. Reformation. Leipzig 1873.

4) J. Wiclif, Life, Times and Teaching. Lond. 1884.

5) Johann Wiclif und seine Zeit. Halle 1885.

6) John Wyclyff, sa vie, ses oeuvres, sa doctrine. Paris 1886.

7) Schmid-Hauck, Lehrb. d. Dogmengeschichte (4). Nördlingen 1887.

8) Thomasius-Seeberg, christl. Dogmengeschichte (2). II. Erlangen-Leipzig 1889.

9) Loofs, Leitfaden für s. Vorlesungen üb. Dogmengeschichte. Halle 1889.

10) Harnack, Lehrb. d. Dogmengeschichte. III. Freib. 1890.

Atque vero Wiclif dignissimus est, cuius rationibus pervestigandis diligentissime operam navemus. Nam innumerabiles illius libros praeclarissimorum qui fuerunt exeunte medio aevo hominum non inferiores esse quis est, quin concedat? Nam inter omnes qui illis temporibus cum doctrinae quae in ecclesia valuit tum ei quam papa de ecclesia sequebatur rationi se obiecerunt, nemo illo magis ita rem instituit, ut, cum omnia ad unum referret, causas ex sola theologia et ea scholastica repeteret. Nam cum theologiae priscae ecclesiae imprimis Augustini se dedisset, non incidit in vitia multorum illorum qui in iniuriis paparum repellendis nihil nisi rei publicae salutem respicerent. Atque inter omnes constat plurima quae et docenda et suscipienda sibi proposuerat collocata esse in notione ecclesiae. Quae cum ita sint, qui studia ponit in doctrina Wiclifiana pernoscenda eum ab ecclesiae notione incipere necesse est.

Accedit quod persaepe disputatum est, quae rationes intercedant inter ea quae Hus de ecclesiae notione docebat et ea quae Zwingli Lutherque[1] sentiebant. Sed cum Loserth[2] omnibus probaverit ea quae Hus disputavit de ecclesiae notione omnia hausta esse ex Wiclifii libris, non solum generatim maioris momenti nunc videtur esse, sed etiam singillatim quaeritur eane in illo fuerint quae postea a Zwinglio Lutheroque et accepta et latius fusiusque tractata sunt.

Sed de hac re alii disserant. Nobis in proposito est, quae Wiclif de ecclesia senserit ex omnibus partibus illustrare et quibus ex fontibus illa derivata sint demonstrare. Quod cum factum erit, iam apparebit quantum valuerit ad aliorum sententias conformandas.

Sed ut Wiclifii sententias rectius et intelligamus et iudicemus, necesse fuerit quae et Augustinus et Thomas de eccle ssia docuerint breviter explicare. Ex quibus alter tam saepe a Wiclifio laudatur, ut Wiclifium Augustini cogitationes

---

1) Ritschl (theol. Stud. u. Krit. 1859. p. 189 sq.), Krauss (d. protest. Dogma von der unsichtb. Kirche 1876. p. 12—34), Seeberg (Begriff der christlich. Kirche. I. 1885. p. 68—95), Buddensieg (l. c. p. 204. p. 4.). — Kolde (Luther's Stellung zu Konzil u. Kirche 1876. p. VI), Gottschick (Zeitschrift f. Kirchengesch. 1886. p. 345 sqq.).

2) Hus u. Wiclif. Prag u. Leipz. 1884.

atque argumenta praecipue consecutum esse dicere nobis liceat. Thomae autem opiniones ad doctrinam illius temporis christianam adeo valebant, ut Wiclif non magis quam omnes alii medii aevi exeuntis theologi illas negligere posset, sed illas aut respicere aut reiicere cogeretur.

I.

Quid Augustinus et Thomas de ecclesia docuerint.

Apud Augustinum priscae ecclesiae doctrina perfecta et ad finem perducta est atque ecclesiae notio diligenter ex omnibus partibus pertractata et constituta. De quo eo fusius latiusque nobis disserendum est, quo plus valuit cum ad omnes ecclesiae aetates tum ad theologiam Wiclifii conformandam, id quod infra demonstrabitur

Nam cum et hominum infirmitati diffideret et ipse ministerio episcopali fungeretur et multis de ecclesia disputationibus implicaretur, necesse erat eum Cypriani sententiam secutum ad speciem ecclesiae maxime spectare. Atque haec est eius doctrina.[1] Ecclesia est institutum omnibus perspicuum atque cognitum quo salus praebetur, cui nisi qui addictus est salutis particeps fieri non potest. Sed cum salvus qui non baptizatus est esse non possit, quaeritur possitne in sola ecclesia recte baptizari. Quod nemo nescit Augustinum negavisse, cum dicat aliud esse non habere, aliud non utiliter habere et baptismo haereticorum caractera quem dicunt indelebilem inesse non neget, quamquam docet fructum eius habere neminem nisi qui in caritatis communionem i. e. ecclesiam redierit. Pariterque is qui ab unitate recesserit sacramentum dandi baptismi i. e. sacramentum ordinis amittere non potest, sed hoc potest fieri, ut illicite illud et cum sua pernicie administret. Quo declaratur sacramento ordinis id tribui quod

1) cf. Reuter, Augustinische Studien 1887. Seeberg, Begriff d. christl. Kirche I. 1885. Thomasius, christl. Dogmengeschichte (2). I. 1886. Loofs, l. c. Harnack, l. c. III.

amitti non possit atque discrimen esse inter laicos atque clerum, id quod maximum ecclesia Romana in ecclesiae notione conformanda constituit. Quamquam non omnia quae ex illa concludi possunt probanda esse putavit. Non necesse est salvandum episcopi potestati oboedire, id quod Cyprianus docuit, neque per sacerdotes solos fieri conversationem hominum cum Deo, sed omnes homines esse ipsos sacerdotes. Neque enim subsistit Augustinus in specie ecclesiae qua praeparamur modo ad veram ecclesiam. Nam constat ecclesiae speciem comprehendere indigna membra atque commixtam esse ex bonis et malis; qua re quamquam non deletur eius sanctitas, tamen ecclesia vera non esse potest. Accedit quod cum baptismo et verbo opus sit, tamen ad praeparandos homines modo valent, quippe quibus non tota Dei gratia tribuatur. Qua de causa aliis potissimum rebus salus hominibus impertitur, gratiis a baptismo incipientibus quae fidem caritatemque communicant. Atque in sola ecclesia homines caritatis participes fiunt neque vero ii qui solis sacramentis fruuntur, sed ii qui animorum communione coniuncti vera membra habentur ecclesiae. Neque qui vitiis obrutus est, non ob id ipsum salvatur, quod ecclesiae catholicae adscriptus est. Multoque plus quam fides qua accipimus gratiam sacramentis oblatam valet caritas quae in bonis operibus versatur. Ex quo sequitur, ut Augustinus non solum spectet ad speciem ecclesiae in sacramentis collocatam, sed etiam ad congregationem sanctorum vel ecclesiam sanctam.

Itaque cum solis bonis corpus Christi efficiatur, salus animorum communione comparatur. Nam cum supra demonstraverimus ecclesiam esse corpus bonis malisque permixtum, Augustinus hoc quoque docet eam ecclesiam quae vere sit corpus Christi, quae eadem dicatur columba vel domus Dei, constare ex solis sanctis. Quos cum compagem vel unitatem definisset a qua removendi essent mali, facile eo adduci potuit, ut hanc quoque congregationem sanctorum ecclesiam appellaret. Qui coniuncti spiritu atque caritate efficiunt invisibilem compagem cui tantum tribuit, ut doceat fieri posse, ut qui illi se dederint sacramentis visibilibus careant.

Sed quamquam non sacramentis ecclesiae solis comparantur spiritus vita, fides caritas, tamen nusquam nisi in specie

ecclesiae inveniuntur. Salus enim non tota pendet a baptismo, sed pendet certe ab eo. Sancta autem illa caritas qua maxime opus esse ille dicit ad salutem in congregatione sanctorum efficiendam, in eo non invenitur qui ab unitate ecclesiae atque communione sacramentorum se separat. Sed qui bonus et humilis est, utique in ecclesia ordinata et composita manet et qui illam vitat salutis expers est. Sequitur, ut extra ecclesiam sit sempiterna pernicies.

Quamquam autem congregatio sanctorum et species ecclesiae rêvera non separantur, tamen non ad idem referri possunt sed illa ad sanctitatem, haec ad universalitatem. Sed Augustinus cum aliam veram aliam visibilem ecclesiam esse non ignoraret, quae ratione diversa sunt re coniungere studet. Quod ita dissolvit ut doceat eandem esse ecclesiam eam quae his temporibus ita ex bonis et malis composita sit, ut revera non polluta sed qamvis occulta et secreta tamen vere exstet, eandem illam quae olim ex solis bonis constabit.

Tertium hoc apud Augustinum videmus. Cum supra cognoverimus esse membra speciei ecclesiae quae non eadem sint membra verae ecclesiae, iam reperiemus esse homines salutis participes neque addictos verae ecclesiae. Quod ex iis intelligitur quae ille docet de praedestinatione.

Antiquitus et inter Judaeos et inter gentiles fuerunt qui in Verbum credentes eiusdem salutis participes fierent quam homines Novi Foederis adepturi sunt. Qui dignus erat salute, ei semper contigit. Atqui illa dignus est praedestinatus. Sequitur, ut qui nondum nati et qui baptismo carentes non regenerati sint, divina praedestinatione Dei filii esse possint, ut certus numerus praedestinatorum solus et is totus ex pernicie exemptus sit, cetera remaneant in massa quam dicit perditionis. Quid attinet tales praedestinatos sacramentis ordinibusque ecclesiae speciei uti? An Augustinus ad eas quae tum valebant opiniones sese accomodavit, cum doceret omnes baptismi expertes in perniciem incidere? Quae cum doceat, omnibus praedestinatis baptismo opus esse dicit, quamquam cum eis quae de praedestinatione docet omnino hoc discrepat.

Quaeritur igitur numerus praedestinatorum idemne sit atque congregatio sanctorum. Atque haec inter se differre vel

ex eo videtur intelligi quod ex sanctis singuli bene viventes agnoscuntur, electi autem soli Deo noti esse possunt neque homines de eis semper recte iudicant. Itaque esse possunt qui quamquam ex sanctis sunt, tamen dono perseverantiae carentes salutis sint expertes; itemque qui quamvis non sint ex sanctis, tamen praedestinati salutis fiant participes. Ita non congruit numerus praedestinatorum cum congregatione sanctorum. Quamquam ne in his quidem sibi constat quae ex hac sua doctrina concludi possint, sed secundum hominum aequalium opiniones dicit viros pietate excellentes, ut martyras ceterosque, per id ipsum esse electos. Tamen apparet diversa eum docuisse cum ecclesiam collocatam esse dicat et in sanctis iustisque et in praedestinatis — quamvis ipsis verbis hoc non expresserit — quorum ex numero haeretici quoque esse possint et gentiles.

Atque cum triplex sit ratio, notio quoque ecclesiae tribus modis efficitur. Primum sacramenta ordinesque faciunt ecclesiam eam qua salus praebetur. Itaque nisi quis ei adscriptus est, id quod fit per baptismum, se salvatum iri sperare non potest. Tum caritate bonisque operibus cum inter sese membra iungantur, ecclesia fit congregatio sanctorum vel vere piorum. Quorum cum in animis posita sit ratio et natura itaque compages qua iunguntur aspici non possit, tamen vita sancta agnoscuntur. Denique Dei potentia absoluta nemini nisi praedestinatis salus tribuitur, ut ecclesia contineatur numero praedestinatorum in quibus etiam ii putandi sunt qui aut baptismo carentes in ecclesiae speciem non intraverunt aut ecclesiae doctrinam atque disciplinam repudiantes se removerunt ab invisibili compage piorum christianorum.

Denique non omittendum videtur quod Augustinus de notione civitatis Dei et civitatis terrenae docuit, cum similia ei quoque apud Wiclifium inveniamus ea quae de dominio divino et de dominio civili statuit. Nam ex Kaini et Abeli temporibus supra terram duo hominum genera vel civitates exstant *perplexae quodammodo invicemque permixtae*, qui fine saeculi demum ita separabuntur, ut hi *in aeternum regnent cum Deo*, illi *aeternum supplicium subeant cum diabolo.* Haec civitas est quod quoque tempore exstat imperium vel omnino

respublica mundana, *societas* illa *terrenae utilitatis*, in qua ut omnes aut regnant aut regnantur, ita, ut se ipsi conservent, leges sibi imponunt pacique student: quae instituta non solum non est quod aboleantur, sed etiam ad civitatis Dei utilitatem conferri possunt. Quam civitatem Dei Augustinus eandem dicit esse atque ecclesiam quae est congregatio praedestinatorum, i. e. illa ecclesia quae quamquam postea demum ad finem perducetur tamen etiam nunc exstat atque floret. Itaque cognoscimus eam speciem ecclesiae, quae quidem Augustino videtur carere maculis et rugis et ex sanctis tantum constare.

Sed priusquam disseramus quae rationes intercedant inter Augustini et Wiclifii doctrinam, hoc nobis statuendum est illa quam Augustinus definivit ecclesiae notione ea contineri quae singillatim a medii aevi theologis adhibita sunt.

Quo in genere imprimis de specie ecclesiae, quam sibi proximam maxime tractavit Augustinus, etiam medii aevi theologi disseruerunt. De qua docent ecclesiam esse monarchiam quae cum et iuxta saecularem civitatem exstet et ea superior sit neque minus ex omnibus partibus visibilis, cognitionis sit, non fidei. Quamobrem illos theologos cum in libris quos de doctrina conscripserunt nihil videamus de ipsa ecclesiae notione disputasse, invenimus disceptatum esse de iuribus et potentia cleri vel de saecularis et ecclesiasticae potestatis ratione ac finibus. Ex quo cum magis magisque augesceret studium ecclesiam clerumque idem esse putantium, facile intelligitur qui fieri potuerit, ut ii quoque qui illis temporibus repudiarent vulgarem ecclesiae notionem, in cleri potissimum inveherentur libidines et ambitiones.

Et quamquam non prorsus hoc omittebatur ecclesiam esse congregationem sanctorum, tamen multum aberat, ut hoc persecuti illi, ut Hugo Bernardus Thomas, speciem ecclesiae reiicerent. Neque magis ea quae est de praedestinatione doctrina, quamquam eius mentio fit et apud Bernardum et apud Thomam, illi usi sunt ad notionem ecclesiae conformandam. Tamen cum Wiclif praeter Augustinum etiam multa ex Thomae libris afferat, a cuius doctrina pendent omnes medii aevi exeuntis theologi, necesse esse videtur quam ille definiverit ecclesiae notionem paucis absolvere.

Atque primum Thomas[1] de ecclesia doctrinam refert ad ea quae docet de Christi persona[2] itaque dicit ecclesiam esse corpus mysticum Christi. Sequitur, ut Christus sit eius caput quod *virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiae.* Cuius corporis Christi mystici sunt *in actu* angeli et beati, quippe qui iam sint in statu *gloriae,* itemque deinceps ii qui *per charitatem* vivunt vel constanter ea quae ecclesia docet *per fidem* accipiunt. Quartum deinde genus est eorum qui *nondum in actu* membra sunt ecclesiae, sed quibus divina praedestinatione promittitur olim futurum esse ut activa membra fiant ecclesiae. Itaque gratia potissimum divina atque ea fere sola constituitur ecclesia. Neque omittendum est alias quoque res ad illam valere, virtutem Christi et arbitrii libertatem. Quibus si minus *in actu*, attamen *in potentia* homines recipi possunt in ecclesiam, ita ut praedestinati, id quod supra vidimus, in actum transmittantur, ii autem qui non electi sunt quamquam aliquod tempus sunt *in potentia* membra ecclesiae, tamen postea totaliter desinant esse membra Christi. Quos cum Thomas quintum genus corpori mystico asserat, quam non sibi constet quis non videt? Qui non sunt praedestinati et *in potentia* tantum ecclesiae sunt addicti, quamvis sint membra ecclesiae in sacramentis collocatae, tamen non sunt veri corporis mystici vel sponsae Christi.

Atque de altera ecclesiae notione ille in apostolorum symbolo exponendo disserit.[3] Cuius verbis ille adducitur, ut doceat ecclesiam esse corpus Spiritu Sancto animatum quae sit una sancta catholica idemque esse atque congregationem fidelium. Nam una est unitate fidei spei caritatis. Deinde est sancta, quod membra eius lota sunt sanguine Christi unctaque gratia Spiritus Sancti, quodque ipsa est Trinitatis domicilium. Denique est catholica, quod exstat in terra, in purgatorio, in coelo, quia nullum abiicit nec dominum nec servum nec masculum nec feminam manetque ab Abelio usque ad finem saeculi et postea remanebit in coelo. Cui opponitur ecclesia malignantium.

1) cf. Thomasius-Seeberg, l. c. II, p. 199 sqq. Gottschick in Zeitschrift für Kirchengesch. 1886. p. 347 sqq.

2) Summa theol. III qu. 8 artt. 1—4.

3) cf. Opusculum VI, ed. Antverp. 1612, tom. XVII, fol. 64 sqq.

Sed congregatio illa fidelium non est cogitatione tantum ficta, sed congruere ei videtur cum specie ecclesiae, quam intelligit visibilem omnium christianorum communionem quibus a papa non interdictum sit sacris.[1] Quod eo magis persuasum habet cum spectat rationem salutis consequendae. Nam opus est specie ecclesiae, cum in ea tantum ut in arca Noae homines salvari possint. Nam cum omnia membra ecclesiae unum corpus sint, singula membra alterum alterius bonorum participa sunt itaque omnia partem habent boni Christi ut capitis. Atque cum hoc bonum nobis tribuatur per sacramenta, communio sanctorum idem ei videtur atque communio sacramentorum.[2] Ex quo sequitur, ut ecclesia *fabricetur* sacramentis.[3] Cui ecclesiae notioni magis consentaneum est Thomam docere *infideles in potentia* ecclesiae addictos esse primum potissimumque *virtute Christi,* quae sit *sufficiens ad salutem totius generis humani,* tum *arbitrii libertate.*

Quae cum sit vis sacramentorum, intelligitur iis quoque qui, cum ministrent illa, communicent cum Deo fidelium rationes, plurimum tribuisse Thomam in ecclesiae notione conformanda. Qui dividuntur secundum magistratus civiles; itaque episcopo privilegia certa conceduntur, ordo confirmatio clavis iurisdictionis; omnes denique potestates continentur una papae potestate qui regis ritu gubernat. Videmus igitur Thomam quoque eadem fere triplici ratione uti ad ecclesiae notionem conformandam atque Augustinum.

Pervenimus nunc ad Wiclifium qui primus non modo omnia quae docuit ad ecclesiae notionem rettulit, sed etiam Augustino auctore praedestinationis notionem accuratius perscrutatus fusius medii aevi theologis ecclesiam ita definivit, ut sit congregatio praedestinatorum.

---

1) l. c. tom. XVII, fol. 69[b]: Ecclesia sancta idem est quod congregatio fidelium, et quilibet Christianus est sicut membrum ipsius ecclesiae. Summa theol. III suppl. qu. 21 art. 1: Qui per baptismum in Ecclesia ponitur, ad duo adscribitur, scil. ad coetum fidelium et ad participationem sacramentorum. III suppl. qu. 21 art 2: Ecclesia in excommunicationis sententia — a communione fidelium separat ut erubescat. III suppl. qu. 23 art. 1: Maior excommunicatio — separat hominem a sacramentis Ecclesiae et a communione fidelium.

2) Opuscul. VI, tom. XVII, fol. 70[a].

3) cf. Summa theol. III suppl. qu. 17 art. 1.

Atque in illa re tractanda maxime usi sumus cum Trialogo[1] tum iis voluminibus librorum a Societate Wiclifiana editorum quae adhuc in lucem prodierunt, inter quos cum quatuor volumina Sermonum principem obtinent locum tum Tractatus de Ecclesia, ad quem cum maxime rettulerim mea studia, breviter eius argumentum describere conabor.

Perspicue enim cognoscuntur eius tres partes, quarum prima (c. I—VI) ob id nobis gravissima est, quod nihil fere omittit eorum quibus opus est ad cognoscendam ecclesiae notionem eaque quae ex illa efficiuntur. Nam cum ecclesia complectatur universitatem omnium eorum qui ab aeternitate ad salutem praedestinati sunt neque quisquam *sine speciali revelacione asserat sine formidine se esse predestinatum,*[2] in nihilum cedunt omnia iura atque possessiones, quae sibi vindicaverunt et papae et sacerdotes. Praeterea dilucide cognoscitur quid verum quid falsum sit in *canonizacionibus* vel in sanctis venerandis.[3] Item videmus quid necessarium sit ad comparandam salutem[4] et quae sit scripturae ad vitam moderandam auctoritas.[5]

Deinde a capite septimo *casum exponit,* de quo *ex mandato domini regis in publico parlamento,* ut videtur, egit: qui est de iure asyli abbatiae Westmonasterii anno MCCCLXXVIII laeso. Ex quo latius disserit (c. VIII—XVI) de iis quae inter ecclesiam et rem publicam intercedere debeant rationibus et quae sint vera privilegia. Qua in parte quid iudicaverit de republica atque eius muneribus gravissime docet, id quod illi casui maxime consentaneum erat.

Tertia denique pars (c. XVII—XXIII) ad ipsius ecclesiae notionem revertitur. Sed cum ibi ea quae iam in prima parte disseruit vel retractentur vel compleantur, saepe res laxiore quodam vinculo conjunctas esse videmus. Docet enim quae sit aetas ecclesiae (c. XVII), quid praescitus (c. XVIII. XIX); quid ecclesia sit ipsa demonstrat exposito Proverbiorum capite tricesimo primo (c. XX). In fine autem libri invehitur in eos qui male utantur privilegiis vel caerimonias stultas et scripturae contrarias adhibeant vel indulgentias immerito dis-

---

1) ed. G. Lechler, Oxonii 1869.

2) p. 5. — 3) p. 44 sqq. — 4) p. 37. — 5) p. 38 sqq.

pertiantur. Atque hanc de indulgentiis disputationem non minus in librum quem „adversus indulgentias papales" conscripsit Hus recepit quam ea quae ipse docet de ecclesia exscripsit ex Wiclifii tractatu.

II.

Quemadmodum Wiclif de praedestinatione doctrinam ad notionem ecclesiae conformandam adhibuerit.

Atque ut primum tractemus ea quae de praedestinatione Wiclif docuerit, Augustinum secutus ita agere studet, ut liberum arbitrium hominis non sublatum videatur. Nam docet omnia quae eveniant *de necessitate evenire* neque quidquam *anichilari* posse.[1] Quamquam illam necessitatem non esse absolutam sed *contingentissime* atque suppositive ad effectum adduci.[2] Neque enim ex ulla alia causa nisi ex Dei *ordinatione* haec fieri, illa non fieri, atque Dei esse scire quare id ipsum neque aliam rem faciat.[3] Quin etiam tantum abesse, ut obscura vel ignota necessitas mundum regat, ut ne *absoluta* quidem Dei *potentia* sed eius *potentia ordinata* ubique summum momentum habeat. Cui *potentie ordinate repugnat* et Deum posse quidquam nove diligere vel odisse et omnes homines esse beatos.[4]

1) Eccl. p. 107. Serm. I, p. 231. Trial. p. 289 f. Dial. p. 46.

2) Serm. I, p. 232: Conceditur conclusio quod omnia necessario evenient et tum contingentissime et sic non necessario absolute sed necessitate ex supposicione ut hic supponitur.

3) Trial. p. 452 sq.: Constat quidem legenti scripturas, quomodo nominatur hoc posse fieri sive non fieri, et quandoque singulariter enunciatur sic posse non fieri, quando implicatur istud non posse fieri, quod est contra ordinationem Dei hoc posse fieri. — Serm. I, p. 231: Videtur quod omnia futura necessario evenirent, quia Deus non potest frustrari in reprobis vel electis, et cum providencia extenditur ad omnia opera sua, videtur quod generaliter omnia futura necessario evenirent.

4) Eccl. p. 138: Hic dicitur quod quicunque posuerit sentenciam doctoris profundi in correlario XXIII[i] cap., libri primi, scilicet quod Deus non potest

Nunc autem homines, si re vera impediuntur ne ipsi salutem amittant vel sibi parent, rationem reddere nulla re cogendi sunt. Cum enim liberum arbitrium sublatum esse videatur, nemo non ita agit ut agere debet atque Deus solus in ius vocandus est. Ne haec sibi placere videantur, Bradwardinae errorem emendans[1] quid sentiat his fere verbis exponit.[2] Obtinendum est id, Deum solum esse sine dubio causam et praedestinationis et praescientiae, cum nulla creatura Deum cogerè possit ad tales *actus sive notitias Deo intrinsecas*

---

quicquam noviter diligere vel odire nec vicissim aliquid odire vel diligere plus vel minus. Quicunque, inquam, illud concesserit habet ponere graciam predestinacionis ad sensum expositum. — Serm. I, p. 231: Quantum ad istud, certum videtur quod omnes homines venire possunt ad beatitudinem de Dei potencia absoluta, verumptamen potencie Dei ordinate repugnat quod omnes homines sunt beati, et eodem modo quilibet prescitus impossibilitatur ut beatitudinem adquirat, sicut est impossibile numerum ecclesie triumphantis augmentari.

1) De dominio divino I, p. 136 sq. cf. Lechler, l. c. I, p. 508, n. 1.

2) Trial. p. 122: Et sic videtur mihi probabile ut supra, quod Deus necessitat creaturas singulas activas ad quemlibet actum suum; et sic sunt aliqui praedestinati, hoc est post laborem ordinati ad gloriam, aliqui praesciti, hoc est post vitam miseram ad poenam perpetuam ordinati. Sic enim limitantur hi duo termini, licet apud multos accipiantur communiter ut termini videntur sonare, et ita praedestinationis aut praescientiae divinae est causa indubie ipse Deus, cum nulla creatura causat, formaliter intelligendo, hos actus sive notitias Deo intrinsecas atque aeternas. Intelligendo autem passive praedestinationem vel praeparationem ad poenam, videtur quod illae sunt a Deo, ab esse intelligibili creaturae, et a futuritione criminis concausatae. Et sic veritas prior naturaliter in ista materia videtur causare veritatem sequentem, specialiter intercidente actu hujusmodi veritatis, ut quia Deus ordinat tale praemium sive poenam, et homo sic merebitur vel peccabit, et quia de facto intercidit tale factum meritorium sive demeritorium, ideo de facto sequitur talis punitio vel praemiatio; et ita concedendum videtur, quod temporale sit causa praedestinationis aeternae, praecedente tamen causa aeterna, tam ex parte Dei taliter ordinantis, quam ex parte futuritionis creaturae taliter ordinatae. Nec dubium, quin Deus quantumcunque ordinat punitionem vel actum hujusmodi, intendit finem meliorem, gratia cujus boni honesti et utilis ecclesiae sic intendit; nec est inconveniens sed consonum, quod aeternum hujusmodi respectum causetur ab aliquo temporali, suo tempore succedente; ut, quia hoc est, et sic proficit et perficit mundum, Deus ordinat illud fore; antecedens est temporale, et consequens est aeternum. Et si quaeratur, quid complete causat Dei ordinationem aeternam, antequam istud fiat, dicitur quod Dei volitio vel etiam ipse Deus, cum necessarium est ad completionem respectus hujusmodi, effectum talem absolutum succedere.

atque aeternas. Nam etiamsi negari non potest et *ab esse intelligibili creaturae et a futuritione criminis* praedestinationem vel praescientiam pendere videri, tamen Deus ad omnem actum hominis tantum valet, ut illum praeordinaverit. Quamobrem non iure concluditur, quamquam a Deo hoc praemium vel illa poena iussa sint et hic homo mereatur ille peccet, tamen, quia tunc demum cum *tale factum meritorium sive demeritorium interciderit* vel praemium vel poena adhibeatur, illud factum pro ea causa habendum esse quam illud iam antea promissum tum denique adhibitum vel praemium vel poena subsequatur. Etiamsi enim temporalis res causa praedestinationis aeternae esse videtur, tamen sine dubio causa aeterna factum temporale ita praecessit, ut et Deus ordinaverit et creatura ordinata sit. Et quamvis cogitari possit neque a consentaneo abhorrere putandum sit aeternas res et temporalibus succedere et ab eis pendere, tamen ordinationis aeternae ultima causa nihil aliud est nisi Dei voluntas aut ipse Deus. Videmus ex illis difficilibus Trialogi verbis Wiclifium operam dare, ut doceat hominem et libero arbitrio uti, sine quo bona opera vel virtutes cogitari non possint,[1] et utique vinctum esse voluntate potentiaque Dei, quippe qui habeat potestatem hominum ratione non habita ordinare aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.[2]

Tamen illa quaestio non modo non eo profligatur quod Wiclif Dei voluntatem prorsus obtinendam esse profitetur, sed eo difficilior exsistit, quod Wiclif praedestinationis notionem accuratius Augustino adhibet. Nam secundum Augustini sententiam Deus e massa perdita iure in perniciem incidenti illum numerum praedestinatorum eripuit, quibus salutem tribueret. Et quamvis praesciat illam massam perditam interituram esse, tamen illud propter quod intereunt non prae-

---

1) cf. Eccl. p. 281: Ex precepto Dei et eius successione hereditaria filii adoptivi non tenetur heres continuare aliquod bonum opus nisi ex libera voluntate. — Deus posuit hominem in tanta libertate, quod non potest sibi quicquam absolute precipere nisi meritorium, et per consequens adiecta condicione, ut libere illud perficiat cf. Lechler, l. c. I, p. 509, n. 2.

2) Serm. I, p. 347: Ideo Deus habet potestatem sine personarum accepcione ordinare unum vas in honorem et aliud in contumeliam, sed pessimam creaturam est melius esse quam foret ipsam non esse, cum omnis dampnatus essencialiter perficitur et accidentaliter perficit totum mundum.

destinavit, sed cum permitteret illos pati id quod propter Adae peccatum cuius ipsi participes essent meruissent gratiam solam adhibuit.[1] Sed apud Wiclifium legimus *creaturas singulas activas* a Deo omnia accuratissime ordinante ita necessitate adduci *ad quemlibet actum suum*, ut *praedestinati post laborem ad gloriam, praesciti post vitam miseram ad poenam perpetuam ordinentur.*[2] Quibus verbis duplicem praedestinationem disserens profitetur a Deo ipso praescitos impediri, ne beati fiant, et quamquam consuetudinem secutus voce praescitorum utitur, tamen alia significatione supposita id assequitur, ut cum illa duplici praedestinatione notionem liberi arbitrii nulla re coniungi posse constet.

Praedestinatione igitur aeterna Deus certum numerum elegit quos ad salutem duceret. Qui quantus sit numerus quamquam ignoramus, tamen coniiciendum est *tot homines salvari quot angeli cciderint et quot homines stante ex integro statu innocentiae creati* sint, ut cum primi angeli tum primi hominis peccatum expiaretur.[3] Qua disputatione simul comprobatur numerum praedestinatorum nulla re commutari posse, praesertim cum sapientiae Dei repugnet quidquam eum ab aeternitate ordinasse quod postea aut augeatur aut minuatur.[4] Quae de certitudine numeri praedestinatorum doctrina cum et ab Augustino et ab Anselmo et a Thoma[5] adhibeatur, eo difficilius

---

1) Thomasius, l. c. (2). I, p. 540 sq. Dieckhoff in Theol. Zeitschr. I, p. 19 sqq.

2) Trial. p. 122.

3) Trial. p. 229: Verumtamen videtur mihi probabile, quod tot homines salvabuntur quot angeli ceciderunt, et quot homines stante ex integro statu innocentiae crearentur; et sic occasione accepta ex Dei gratia tam peccatum primi angeli quam peccatum primi hominis fecit bonum. — Tractatus de nova praevaricantia mandatorum c. 3 (Polemical Works I, p 123): Multi ergo erunt salvati, ut patet Matth. 25, quia totidem, quot forent homines in statu innocencie servato ex integro, et quot spiritus cum lucifero ceciderunt, quia aliter Cristus non redemisset genus humanum, nisi ex virtute passionis sue superhabundaverit gracia super hoc, quod delictum primi hominis habundavit.

4) Serm. I, p. 231: Circa hoc evangelium dubitatur utrum numerus predestinatorum vel prescitorum augeri possit vel minui. Et certum videtur quod non, quia Deus eternaliter diffinivit utrumque; cuius diffinicio mutari non potest in contradictorium, quia tunc Deus foret insipiens.

5) Thomasius, l. c. (2). I, p. 540 sq. — Cur Deus homo? I, c. 15–18. — Thomas, Summa theol. I qu. 23.

intelligitur, quod Wiclif illos qui non ad partes angelorum Adaeque explendas electi sint praecipua Dei ordinatione poenae perpetuae tradendos esse putaverit.

Praesciti enim illa divina ordinatione prorsus coacti sunt salute aeterna carere, cum *nomen finalis impenitencie* ut caractera indelebilem acceperint.[1] Nam in illa gratia quae ipsis contigisse videtur perpetuo permanere non possunt, sed postquam praesenti quae dicitur iustitia aliquantulum Deo cari, sed non perpetuo a damnatione servati sunt, propter praescientiam divinam necessario poena aeterna tenentur.[2] Quamobrem praescitus quamquam orare videtur, tamen eius oratio, cum sit iniusta, non auditur;[3] quamquam contritus videtur, tamen defi-

---

1) Eccl. p. 445: Nam caracter predestinatorum et caracter prescitorum qui sunt de synagoga sathane (ut loquitur scriptura Apoc. II⁰) est indelebilis, quia primus est calculus candidus vel nomen novum, quod nemo scit nisi qui accipit (ut loquitur scriptura Apoc. II⁰, 9). Sed secundus est nomen finalis impenitencie vel comitans caracter bestie, caracter autem temporalis quando est limitacio ad officium temporale.

2) Trial. p. 153: Et patet, quod sicut praedestinatus non potest a caritate tali vel gratia excidere, sic praescitus non potest in illa caritate vel gratia perpetuo perdurare, quia si oppositum contigerit, non est illa. — Et conformiter despiciuntur casus impossibiles, quibus ponitur, quod gratia finalis perseverantiae servetur ex Dei omnipotentia in praescito vel damnato etiam usque ad diem judicii, vel quod maneat ac in lapide informans ipsum, vel quod ejus informatio in homine dispositio ad gratiam suspendatur. — p. 172: Sed gratia vel caritas in creatura intellectiva vocatur denominatio, qua ipsa dicitur grata vel cara Deo, et est duplex scilicet praedestinationis vel finalis consumationis, qualiter solum praedestinati sunt Deo cari vel grati; et alia est gratia vel caritas secundum praesentem justitiam, qua creatura rationalis disponitur et est ad modicum tempus cara Deo, et illa est satis fluxibilis in viante. — Eccl. p. 80: Cum enim Deus plene scit qualem finem quicunque prescitus cum ipso faciet et quantam penitenciam agent quicunque predestinati casuri, postmodum perpetuo Dei grati, patet quod necessario omnem predestinatum quantumcunque criminosus fuerit plus diligit, quam aliquem prescitum in quantacunque gracia fuerit temporali, quia primum eternaliter vult habere beatitudinem et alium ignem perpetuum.

3) Serm. I, p. 192: Ex quo patet quod solum predestinatus in nomine Jesu a Deo petit quicquid oraverit, quia solum talis petit salutem perpetuam vel medium quod est necessarium ad illam — p. 193: Ex istis patet quare peticiones quas aliqui Deo dirigunt sunt negate; presciti namque cum sint iniusti continue, non impetrant beatitudinem suam, quia deficit illis modus predestinati, et cum sepe errant in mediis, petendo quod eis non expedit, vel petendo pro aliis quod non est iustum impleri, in suis peticionibus repelluntur. —

ciente contritione peccatum commissum non deletur, sed in perpetuum remanet.[1] Quod *secundum presentem iusticiam* fideliter servivit, apud Christum et temporalem neque aeternam gratiam assequitur; nam cum *gracia predestinacionis* careat, peccata a Deo non remittuntur, sed quamquam temporaliter in gratia est, tamen *cruciabitur in eternum.*[2]

Dial. p. 45: Similiter nemo viancium scit si est predestinatus ad patriam vel prescitus, sed certum est si sit prescitus tunc est diabolus, et per consequens oracio sua quantum ad beatitudinem sibi vel alteri nichil valet.

1) Serm. I, p. 283: Scimus tamen quod predestinatus ex quantumcunque levi dolore conteritur, ubi prescitus ex maiori dolore contricionem criminis non attingit, quod figuratum est dolore Esau, quamvis postulasset cum lacrimis non exauditus est ad votum ut Jacob, et hii duo fratres figurant prescitos et predestinatos. Ideo sicut ignoramus has duas differencias, sic differenciam inter attricionem et contricionem in nobis ipsis et multo magis in aliis. — Trial. p. 151: Et tunc dicitur, quod in praescitis omnia peccata redeunt quae peccaverunt. — Et videtur quod praescitus, licet videatur contritus, deficit tamen communiter a contritione et per consequens a peccati commissi deletione, licet propositum et actus peccati sui ad tempus deficiant. Defectus enim, quo praescitus in comparatione ad contritum, in dispositione deficit, est peccatum remanens perpetuo in praescito.

2) Serm. I, p. 320: Prescitus autem cum sit in peccato irremissibili quod Deus non potest remittere, licet ad tempus sit in gracia secundum presentem iusticiam, impossibile est tamen ipsum ad graciam predestinacionis attingere. Et sicut finale meritum predestinati compatitur secum peccatum mortale secundum presentem iniusticiam, sic presciti finale peccatum compatitur secum graciam et meritum secundum presentem iusticiam. — Unde prescitus est quasi taurus desperatus non curatus blada vel prata destruere, cum Deus ex misericordia sua dat sibi bona nature sed non curat sibi dare finalem graciam sicut illos predestinatos quos amat arguit et castigat. — p. 358: Ideo dicendum videtur conformiter ad evangelium quod Christus secundum quid remittit prescito iniuriam et donat graciam sibi temporalem pro servicio quod impendit secundum presentem iusticiam, et illa dimissio multum excedit dimissionem condicionatam, non tamen attingit dimissionem simpliciter, cum prescitus pro tali crimine cruciabitur in eternum. — Eccl. p. 139 sq.: Unde concedendum est quod Deus infinitum plus diligit Petrum quoad mores eciam dum negat eum, quam diligit Scarioth dum est in gracia, quia cum necessario semper eque diligit, semper diligit Petrum ad beatitudinem, cum scit eum finaliter converti, Scarioth autem semper diligit ad penam perpetuam, cum eternaliter videt omnia preterita vel futura sibi presencia, ut hic supponitur. Et patet quod gracia predestinacionis quam quidam vocant graciam prevenientem est quantumlibet melior quam gracia nude secundum presentem iusticiam quam quidam vocant graciam comitantem. Sed optima est gracia qua homo finaliter perseverat, que ducit ad confirmacionem et gloriam quam quidam vocant graciam consumantem.

Quo factum est, ut omnibus temporibus illa duo hominum genera commixta neque specie discernenda, revera autem animis prorsus diversa atque *in finali iudicio tam localiter quam condicionaliter separata* conversentur.[1] Animis autem etiam nunc separata sunt ob id, quod aliis ab aeternitate sit tradita gratia praedestinationis quae gratia finalis perseverantiae perficitur atque consummatur. Qua quamquam homo non impeditur quin iniuste vivat peccatisque maculetur, tamen commovetur, ut contritus moriens beatitudinem accipiat. Nam fieri potest, ut praedestinatus per totam vitam peccatis mortalibus deditus et multo magis a pernicie finali occupatus esse videatur quam praescitus. Tamen cum gratia finalis perseverantiae defendatur ne in Spiritum Sanctum peccet, ne beatitudine quidem aeterna caret. Tam exigui igitur momenti esse et hominis libertatem et iustitiam virtutemque Wiclif persuasum habuit, ut per illas Dei praedestinatio atque voluntas ne minime quidem commutari posse doceret.[2]

Nihilo minus aliis locis Wiclif operam dedit, ut doceret etiam homines cooperari necesse esse ad salutem sibi acquirendam. Quamobrem dicit homini gratia praedestinationis non modo illam finalem perseverantiam quae non possit aut irrita fieri aut reiici tributam esse, sed etiam fidem cari-

---

1) Serm. I, p. 321: Ideo cecum est iudicium ex prosperitate mundana vel eius adversitate predestinatum arguere vel prescitum. Deus enim celare voluit consilium sue predestinacionis et presciencie et non per talia mundana iudicia reserare. — p. 260: Presciti autem erunt a salvandis tam localiter quam condicionaliter separati, sicut pastor segregat oves ab edis.

2) Eccl. p. 72: Ulterius conceditur quod predestinatus quantumcunque fuerit in mortali non desinit esse membrum vere ecclesie, licet excommunicacione pretensa ponatur nominetenus extra temporalem ac corporalem communicacionem pretense ecclesie. — p. 139: Quo ad secundum dicitur, cum nemo dubitat quin multi predestinati peccarunt mortaliter, tam peccato originali quam actuali, ut patet de David, Petro et Paulo, et predestinacio non potest perdi iuxta dicta, manifestum est quod gracia predestinacionis stat cum peccato mortali, verumptamen repugnat peccato in spiritum sanctum, sicut gracia presciti secundum presentem iusticiam repugnat dampnacioni, licet aggregatum ex illa gracia et presciencia inferat necessario dampnacionem. — p. 140 sq.: Unde sicut heres parvulus caret dominio, dum tamen tempore suo sit dominus omnium, sic predestinatus in mortali caret dominio, dum tamen alio tempore habet dominium, cum Deus eternaliter vult quod illud habeat pro suo tempore.

tate formatam, quam nihil aliud esse nisi caritatem ipsam infra (p. 36) videbimus. Quae quamquam non minus *virtute perseverancie ad salutem sufficit*, tamen *a fideli qui obicem ponit* reiici potest.[1] Quaeritur autem eane obice quam praedestinatus ponit, ne fide caritate formata ornetur, a salute quoque se excludere possit. Quae fieri posse Wiclif putasse non videtur, cum Dei praedestinationem esse irresistibilem semper ac praecipue profiteatur. Potius solum ob id, ut etiam homini liberum arbitrium esse cognoscat, de illa obice, qua homo fidem caritate formatam sibi tribuendam arcere possit, videtur disseruisse.

Utrumque quod docet, donum perseverantiae et fidem caritate formatam ab iis praedestinatis qui intra christianos habitant per sacramenta ecclesiae visibilis accipi quamquam ex ratione concludi non potest, etiam cum Augustini Thomaeque opinionibus consentit.[2]

Pervenimus nunc ad ecclesiae notionem, ad quam constituendam Wiclifium multo fusius quam Thomam praedestinationis notione usum esse supra (p. 9) annuntiavimus. Nam paullo postquam exposuit necesse esse ecclesiae naturam cognoscere ei qui illam honore afficere velit,[3] ecclesiam nihil aliud nisi

1) Eccl. p. 42: Sic si quicunque christianus habuerit fidem caritate formatam in quantumcunque communi, sufficit cum virtute perseverancie ad salutem. Deus enim qui dedit primam fidem dabit clariorem, nisi fidelis ponat obicem. — p. 110: Et sic habet quilibet predestinatus fidem formatam caritate predestinacionis secundum quam constituitur ecclesia vel eius membrum. Et ita racio est univoca in quocunque salvando. — p. 111: Et sic omnes predestinati habent continue fidem gracia predestinacionis formatam, et sic non cadit a membris ecclesie per mortale. — cf. Serm. I, p. 260: Oves autem Domini salvandi propter fructum quintuplicem quo prosunt ecclesie, hedi autem dicuntur dampnandi propter extollenciam qua diabolice petunt alta, propter fetorem peccati, propter destruccionem arborum ecclesie et propter vilitatem finalem qua carnes eorum non sunt sapide ut beati.

2) cf. Gottschick, l. c. p. 352 sq. Harnack, l. c. III, p. 404.

3) Eccl. p. 1: Quia nonnulli, eciam illi qui videntur esse aliquid discordant in materia de quiditate ecclesie, et fides est ecclesia que deberet in christianis omnibus esse una, decet christianos cognoscere matrem suam. Quomodo queso honoraret quis matrem illam primevam, sicut quilibet christianus tenetur sub pena dampnacionis ex primo mandato secunde tabule, nisi ipsam cognosceret? — p. 2: Quomodo queso cognoscerem in quo staret eius (i. e. ecclesiae) prosperitas vel edificacio, nisi ipsam precognoscerem, cum sequatur: ego cognosco quod

numerum vel *congregacionem omnium predestinatorum* esse docet.[1] Illos solos id quod iam Augustinus docuerit, et illos omnes nulla exceptione facta *a principio mundi usque ad diem iudicii* esse membra ecclesiae.[2] Quamobrem etiam Veteris Testamenti temporibus ex *regibus sacerdotibus prophetis* multi, cum *gracia predestinationis uncti* sint, pro Christi ecclesiae membris habenda sunt.[3] Quae ecclesia constat ex tribus partibus, ecclesia militante dormiente triumphante.[4] Itaque membra ecclesiae per

---

procedit prospere, ergo prius nosco illam esse? Adhibeamus ergo diligenciam, ut cognoscamus debite matrem nostram. — Serm. IV, p. 148: Aut quomodo diligeret istam mulierem, qui eam ab aliis nesciret distinguere? Aut tercio quomodo zelaret pro libertatibus vel privilegiis huius ecclesie qui non cognosceret quid est illa, cum secundum philosophos noticia quiditatis subiecti preexigitur ante noticiam passionis.

1) Eccl. p. 2 sq.: Quamvis autem ecclesia dicatur multipliciter in scriptura, suppono quod sumatur ad propositum pro famosiori, scilicet congregacione omnium predestinatorum. Illa autem est sponsa Christi, de qua est processus Cantici canticorum; de qua loquitur scriptura Isaie LXI°, 10: „Tamquam sponsam decoravit me corona". Hec eciam est mulier fortis, de qua Proverb. XXXI°, 10, et corpus Christi misticum, de quo I[a] Cor. 12°. Ista est Jerusalem, mater nostra, templum domini, regnum celorum et civitas regis magni. — p. 5: Patet ergo ex fide et signacione „quid nominis ecclesie catholice" quod ipsa est omnes predestinati presentes, preteriti et futuri. — Et sic ecclesia est solum numerus predestinatorum.

2) Eccl. p. 84 sq.: Nam nemo nisi predestinatus et sanctus tempore suo sine macula vel ruga est membrum illius ecclesie. — eccl. p. 7: Eo ipso quod est ecclesia universalis sive catholica, ipsa continet in se omnes predestinatos. — p. 20 sq.: Nam sancti doctores dicunt concorditer quod omnes electi a principio mundi usque ad diem iudicii sunt una persona que est mater ecclesia. — p. 116: Quelibet enim pars predestinati potest dici pars corporis ecclesie, nullum tamen est membrum ecclesie nisi persona predestinata, et omnis talis est membrum ecclesie sicut proporcionaliter dicendum est in humano corpore. — p. 134: Nam primo concedi potest quod manet continue eadem ecclesia que est collectim omnes predestinati et singillatim singuli. — Serm. IV, p. 148: Teneamus igitur quod universitas predestinatorum et nullus prescitorum est ecclesia mater nostra.

3) Eccl. p. 399: Ulterius declaratur tam per grammaticos quam doctores ex testimonio scripture quod multi erant Christi in veteri testamento, quia reges, sacerdotes et prophete qui crismate erant uncti. Illud autem gratanter accepto cum modificacione tamen quod intelligatur de unccione spirituali qua anima ungitur gracia predestinacionis; solum enim membrum Christi unitum gracia predestinacionis et omne huiusmodi est proprie christianus.

4) cf. Thomas, Opusculum VI, l. c. fol. 69[b]. cf. supra p. 8.

omnes locos et omnia tempora valde dispersa sunt et multum abest, ut ex iis nationes vel gentes vere christianae constituantur.[1] Post huius saeculi exitum demum ex singulis illarum trium partium membris una magna ecclesia formabitur atque constituetur, cuius etiam angeli sunt.[2] His igitur in disputationibus valde Wiclif ab Augustini opinionibus abhorret, quem veram ecclesiam ex sanctis constare atque esse communionem compage invisibili unitam, cuius membra singula bene viventia facile cognoscantur, docuisse vidimus (p. 4). Atque re persuasum habuit ille eos qui iuste sancteque viverent christianos etiam praedestinationis participes esse, id quod ratione non sine dubio concludi potuit. Contra Wiclif praedestinationis notione maxime usus ad ecclesiae notionem formandam illam veram

1) Eccl. p. 99: Dicitur secundo quod propter elongacionem a vera ecclesia et ab irradiacione luminis capitalis frequenter putatur ecclesiam Christi esse continuam quoad locum et tempus, dum tamen membra Christi et sponse per vacuitates predestinacionis et operis rarenter sunt positi. Multi enim putant totum populum et totum genus sibi succedencium esse christianos verissimos et capitales precipuos in area sancte matris ecclesie, cum tamen sunt vacuitates et membra diaboli. Sicut enim iuxta naturales et perspectivos videns silvam vel campum segetum a longinquo iudicat totum esse continuum consitum arboribus vel frumento, sic nos inperfecta fide videntes ecclesiam a longinquo, non obstante quod habeat in se arbusta sterilia atque zizannia, iudicamus eam plenam fructuosis arboribus et frumento.

2) Trial. p. 324 sq.: Sed vere dicitur ecclesia corpus Christi mysticum, quod verbis praedestinationis aeternis est cum Christo sponso ecclesiae copulatum; et talis est triplex ecclesia, scilicet militans, dormiens et triumphans. Militans est corpus praedestinatorum, dum hic viat ad patriam; ecclesia dormiens est praedestinati in purgatorio patientes; et ecclesia triumphans est beati in patria quiescentes. Una autem magna ecclesia fiet de omnibus illis in die iudicii. Nec est inconveniens sed consonum, quod beati angeli sint pars ecclesiae. — Eccl. p. 125: Frustra namque ordinaretur vel legeretur quod Salomon haberet tot reginas, tot concubinas et tot adolescentulas, nisi ut figurando Christum significet nobis suum coniugium cum spiritibus celestibus, tam angelis quam animabus, quam cum adolescentibus viantibus; ex quibus omnibus componitur una columba que est universalis ecclesia, eadem que coronabitur in patria, quia aliter foret continue alia et alia universalis ecclesia. — p. 5: Patet ex hoc quod capitalem illius ecclesie oportet esse super omnes angelos beatos, cum ipsi sint membra illius ecclesie, quod soli Christo potest competere inter omnes predestinatos. — p. 17: Si enim quis sit caput talis universalis ecclesie, tunc est „melior angelis effectus“, ymmo omni beato spiritu creato, quod soli Christo potest competere secundum apostolum Heb. I°, 4.

ecclesiam, corpus sponsamque Christi vel unicam columbam, nihil aliud esse docuit nisi numerum praedestinatorum qui quin re vera bene viverent illum non dubitasse infra demonstrabimus.

Sequitur, ut nullus praescitus membrum sit verae ecclesiae, etiamsi munere ecclesiastico fungitur, atque vehementer errat qui talem propter qualiacumque officia ecclesiastica verae ecclesiae adscribit.[1] Nam cum quivis praedestinatus, etiamsi peccatis per totam vitam maculatur, sine dubio pro ecclesiae membro habeatur et, postquam poenas propter peccata temporalia a Deo sibi irrogatas solvit,[2] nulla re impediatur ne beatitudinem accipiat, quae per praedestinationem aeternam et per donum perseverantiae est eius propria: *presciti* quamquam temporali iustitia florentes temporali praemio dignantur, sive *pape* sunt sive *claustrales, manifesti* sunt *diaboli.*[3] Atque cum Thomas diabolum dicat caput omnium malorum, quamvis secundum exteriorem tantum gubernationem itaque praescitos modo membra corporis mystici Christi, modo membra diaboli appellet, Wiclif in adhibenda praedestinationis doctrina constantior dilucide et accurate seiungit numerum electorum capite Christo a *globo reprobo prescitorum* capite diabolo atque praeter ecclesiam ipsam esse *ecclesiam malignantium* docet.[4]

1) Eccl. p. 89: Vult iste sanctus (Augustinus) dicere (ut patet ex dictis) quod impossibile est prescitum esse membrum sancte matris ecclesie vel predestinatum a maternitate illa deficere, quomodocunque secundum presentem iusticiam (editio perperam legit: iusticium) varientur. — p. 140: Et patet quod homo potest esse episcopus, dominus et minister ecclesie, eciam prescitus, existens in gracia secundum presentem iusticiam, sed homo non est cum hoc membrum sancte matris ecclesie.

2) Eccl. p 586: Videtur ulterius quod pro quolibet peccato in quo decedit predestinatus Deus statuit certam penam, cum quo non poterit illo peccato supposito dispensare.

3) Dial. p. 47: Similiter omnes tales presciti, pape vel claustrales, sunt manifesti diaboli de ecclesia malignancium, quomodo ergo virtute ecclesie Christi quam inficiunt, suis oracionibus sic prodessent?

4) Eccl. p. 102 sq.: Manifestum est quod est unum corpus diaboli, sicut est unum corpus Christi. Ubi autem corpus Christi vocatur corpus misticum propter misterium celestis coniugii inter Christum et ecclesiam Christi, corpus diaboli non est sic misticum sed obscurum, cum sic coniungi diabolo non sonat directe in misterium sed flagellum, et sic corpus diaboli habet esse naturale. —

Illi cum sint quasi *apostema* in corpore ecclesiae,[1] quamvis sint *in ecclesia,* tamen prorsus dici non potest eos esse *de ecclesia.*[2]

Illa igitur ecclesia sola corpus mysticum Christi est, Christus eius caput. Nam etiam Augustinus recte secundum suam de praedestinatione opinionem docuit Christum pro solis electis esse mortuum.[3] Thomas electos cum Christo unum corpus mysticum esse docens de recta via decesserat, cum etiam praescitos huic corpori admisceret. Quod Wiclif gravissime reiicit, cum praeter corpus mysticum esse dicat corpus naturale. Atque de hoc concedit Christum et *secundum deitatem et secundum humanitatem* pro capite totius humani generis posse haberi, cum illud beneficiis cumulet. Sed non minus recte quis eo processerit, ut dicat, *quoad naturale* sit corpus, Christum esse *caput eciam diaboli* eiusque *membrorum,* praesertim cum hi, *quoad naturam specificam* habeant, *fratres Christi* sint. Sed hic non agitur de illo incomposito corpore naturali, sed de ordinato corpore mystico.[4]

Dial. 26: Certum videtur quod ipsimet nesciunt si sint globus reprobus prescitorum.

1) Dial. p. 47: Numquid credimus deus necessitatur per talia apostemata tanquam media infundere lumen gracie in vasa sua predestinata, in que, ut ex fide supponitur, est illapsus?

2) Eccl. p. 89: Secunda responsio glose est quod aliud est esse de ecclesia et aliud esse in ecclesia. — Tercia responsio distinguit de quadruplici habitudine viantis ad sanctam matrem ecclesiam. Quidam autem sunt in ecclesia nomine et re ut obedientes catholici, quidam nec re nec nomine ut pagani, quidam nomine tantum ut presciti ypocrite, et quidam re licet videantur nomine esse foris ut predestinati, quos satrape videntur in facie ecclesie condempnare. — p 409: Sed tercio modo sumitur ecclesia pro convocacione predestinatorum, sive sint in gracia secundum presentem iusticiam sive non. Et isto modo ecclesia est articulus fidei, de quo loquitur Apostolus Ephes. VI⁰. Et sic nullus prescitus est de sancta ecclesia, licet sit in illa. — Serm. II, p. 399: Secundo notandum quod aliud est esse in ecclesia, et aliud esse de ecclesia, cum in ecclesia sint tam membra Christi quam membra dyaboli, sed de ecclesia sunt solum predestinati qui post iudicium sunt realiter membra Christi.

3) cf. Thomasius, l. c. (2). I, p. 541.

4) Eccl. p. 57: Sed redeundo ad difficultatem dimissam obicitur per sanctum Thomam de Christo, conclusione octava, articulo III⁰, ubi dicit quod „Christus est caput omnium hominum, tam fidelium qui uniuntur sibi in actu per graciam, quam infidelium qui sunt solum in potencia eius membra“, et post subdividit secundum predestinatos et prescitos qui recedentes ab hoc mundo totaliter desinunt esse membra Christi. Et probat hoc multiplici racione. Quantum

Atque de ea quoque qua ecclesia formetur ratione Wiclif disserit Augustini Thomaeque auctoritate adhibita. Augustinum enim dicit docuisse carnem Christi esse caput ecclesiae.[1] Atque Thomae videri *totam Christi humanitatem secundum scil. animam et corpus influere in homines et quantum ad animam et quantum ad corpus* pertineat cognoscimus.[2] Quod autem Christi natura *influit in homines,* summa est earum quae intercedunt inter caput et corpus rationum. Quamobrem Wiclif non dubitat docere *humanitatem secundum quam Christus* ipse sit *predestinatus* esse *formam ecclesiae.*[3] Qua animatur et movetur corpus, ut agat et crescat. Sed cum sentiat humanitate Christi formari corpus ecclesiae, non sibi constanter idem dicit Christum semper itaque priusquam humanitatem acceperit fuisse caput ecclesiae. Quod ut defendat, admonet patres Veteris Testamenti incarnationem pro suo

---

ad hoc testimonium sancti Thome, videtur michi quod ipse equivocat vere dicendo quod Christus secundum deitatem est caput extrinsecum tocius humani generis; quod potest dici aggregative unum corpus naturale, cui eciam Christus benefacit sicut et toti mundo secundum humanitatem, cum virtute passionis Christi acquiritur quedam perfeccio secundaria toti mundo. Et sic secundum humanitatem benefacit toti humano generi, cum punit omnes dampnatos, vel ex infidelitate, ut eos qui non considerant in dominum Jesum Christum, vel ex desperacione qua dimissa debuerunt celestibus aspirare, vel tercio de iudicio temerario quo dimisso debuerunt domino Jesu Christo caritative finaliter adherere. — p. 59: Concedi potest cum sancto Thoma quod Christus quoad esse naturale est caput eciam diaboli, et per consequens, caput membrorum suorum, non solum quoad esse naturale, sed eciam quia sunt fratres Christi quoad naturam specificam, quorum omnia peccata ad eorum dampnacionem et penam cedunt, sanctis vero ad gloriam. Et sic misericorditer punit fratres suos ad bonum eorum. Loqui autem sic generaliter atque equivoce est preter propositum nostrum, quia loquimur de capite et membris unius hominis ex sponso et sponsa — cf. Thom. Summa theol. III qu. 8 art. 3. Vide supra p. 8.

1) Eccl. p. 7: „Ipsa“ inquit Augustinus „caro Christi est caput ecclesie“, id est, humanitas secundum quam Christus predestinatus est. cf. Aug. in Psalm. 120, v. 6 (Migne 37, 1615).

2) Summa theol. III qu. 8 art. 2.

3) Eccl. p. 132 sq.: Sed difficultas est, utrum Christus secundum humanitatem sit forma ecclesie. Et videtur mihi quod sic; nam sicut forma vivificat et movet corpus ad actus suos, limitans sibi et partibus suis crementum et alia accidentia naturalia, sic se habet nedum divinitas Christi extrinsecus sed humanitas eius intrinsecus ad sanctam matrem ecclesiam; unde blasphemum est cogitare quod subest potestati humane posse celebrare divorcium inter

tempore futuram ita credidisse, ut veritatis instar eis videretur.[1]

Quae cum sint inter caput et membra rationes, sequitur, ut ecclesia a Christo ut a capite suo ducatur. Ecclesia nisi cohaeret cum Christo, vitam vitalem non vivit; separata ab eo cadaveri absciso capite similis est. Crescit ordine et ratione ut hominis corpus. Atque singula membra cum Christi corpori inserta sint, vim nanciscuntur ipsa difficillima sufferendi.[2]

Atque ut demonstret quam arcte coniuncta sit ecclesia cum Christo, saepe exemplum ex ethica repetit coniugium significans inter Christum sponsum et ecclesiam sponsam.[3] Initio enim

---

Christum et matrem suam, sicut carnaliter ymaginamur de defectu in carnali coniugio.

1) Eccl. p. 127: Hic dicitur quod patribus veteris testamenti fuit hec vera: verbum est homo Christus Jesus. Ipsi enim secundum sanctos habuerunt eandem fidem quam nos habemus. Ideo sicut nos credimus creacionem mundi, carnis resurreccionem et vitam eternam, hoc est, quod Deus tempore suo creat mundum, quod mortui resurgent, et quod beati vivunt eternaliter post diem iudicii, ita utraque ecclesia credit incarnacionem, scilicet quod Christus pro suo tempore incarnatur. Et sic proposicio nostra: Christus est homo, foret in signo utrobique vera; non quia tunc est quod Christus est homo, sed quia verum est quod Christus est homo pro suo tempore. — p. 128: Ad tercium negatur assumptum, cum ecclesia semper fuit capitata per verbum quod mansit perpetue eadem persona et sic idem caput post et ante. Conceditur tamen quod post illas nupcias celebratas in utero virginis, quando Christus fuit murus et antemurale sponse sue, fuit caput racionis duplicis et duplicis nature et sic simul caput intrinsecum et caput extrinsecum eiusdem ecclesie. Et sic ad auctoritates potest dici (ut alias) quod Christus est pro tempore veteris testamenti nedum secundum deitatem sed secundum causas secundas, et sic possunt ipsi dici christiani.

2) Eccl. p. 4: Sed nemo potest esse membrum corporis Christi, nisi fuerit membrum vivum: ergo nemo potest esse de illo corpore, nisi manducaverit corpus Christi. Quomodo queso potest continuari cum nervis capitis, nisi fide formata in caput crediderit? Quod est ipsum manducare, ut exponit Augustinus omelia XXV^a^. — p. 12: Iterum, sicut membrum non vivit prescisum a corpore: sic nec natura humana per reprobacionem precisa a capite. — p. 135: Patet secundo quod martires nunquam possent sustinuisse tot passiones et fecisse tot mirabilia nisi per incorporantem et assimilantem membra capiti loquentem et operantem in eis dominum Jesum Christum. — p. 414: Sic enim maioratur ecclesia, ut homo stante unitate capitis ut anime.

3) Eccl. p. 3: Hec est sancta ecclesia catholica quam confitentur christiani immediate post fidem in spiritum sanctum propter tria: primo quia secundum

mundi Christus ecclesiae electae sponsae *mundum sensibilem domui* dedit et ut illud foedus amoris confirmaret, illam *angelis iusto Abelio* ceteris *sanctis* exornavit.[1] Illudque foedus amoris firmius factum est, cum Christus incarnaretur sponsaque ita commutaretur, ut ad membra Foederis Veteris praedestinata etiam gentes dotem acciperet.[2] Quibus temporibus sponsa fit

---

Augustinum est summa creatura. Ideo immediate ponitur post trinitatem increatam. Secundo quia amore spiritus sancti Christo in matrimonio perpetuo copulatur. Et tercio quia posita trinitate oportet ipsam habere templum vel domum quam inhabitet. — p. 9: Ista columba secundum concordem sanctorum sentenciam est mater ecclesia, cuius mater, quia creatrix est trinitas vel divina essencia, cuius genitrix et fotrix est patris sapiencia et ipsa mater virgo et sponsa humanitatis Christi sui capitis. — p. 11: Quotlibet sunt scripture et raciones docentes istam sentenciam, ut sicut primus Adam terrenus sine bigamia habuit unicam sponsam carnaliter, sic secundus Adam sine bigamia possibili necessario habet unicam sponsam spiritualiter. Et illum sensum exponit apostolus ex scriptura Genes. II°, 24, ut patet ad Ephesios V°, 31, de Christo et sua ecclesia.

1) Eccl. p. 24: Unde beatus Gregorius IV° Moralium cap. XXXII narrat quomodo a principio mundi Deus ordinavit sponse sue patriarchas secundum virtutum principia tamquam membra radicalia ecclesie inserenda, ut patet de innocencia Abel, de mundicia Enoch, de castimonia coniungali Isaac etc., et sic discurrendo per omnes species virtutum. — Nec solum isti sed omnes eorum imitacionis filii sunt eadem membra sancte matris ecclesie quod, si alicui desit virtutis officium, deerit sibi indubie quod sit sancte matris ecclesie membrum. — p. 440: Christus enim secundum deitatem sicut ordinavit domum sponse sue mundum sensibilem, sic prius dignitate ordinavit sponsam ecclesiam sibi domum, sed utrumque factum est in principio mundi. — p. 441: Sed procul undique hoc venenum pestiferum, ut credatur ante mortem Christi non fuisse ecclesiam, sed Christum cum suis apostolis fuisse viando solummodo synagogam.

2) Eccl. p. 123 sq.: Ad illud autem videtur dicendum iuxta sepe dicta quod Christus in primo instanti mundi fuit sponsus ecclesie predestinacione, in confirmacione autem angelorum dedit dotem parti sponse sue et sic in confirmacione Abel iusti et aliorum sanctorum usque ad incarnacionem, manente continue eadem desponsacione, cum Cesar semper Augustus continue auget dotem. In incarnacione vero fecit secundas nupcias, creando quandam reginam partem tocius ecclesie que quadam proprietate dicitur ecclesia christiana. Tunc enim dux et legifer noster familiarius alloquens sponsam suam (ut dicit apostolus Hebr. I°) per assumpcionem humanitatis inducit arma nostra et ut gigas superavit hostes ecclesie, redimens partem sponse incarceratam et docens aliam quomodo sequeretur eius vestigia. — Tercio vero in ultimo adventu faciet agnus nupcias consummatas, coronando et confirmando reginam integram que est una columba et universalis ecclesia, non pars alterius ecclesie (ut patet Apoc. XXI°).

ovis perdita et meretrix; sed cum ea sit cum illo coniunctio, quae et spiritualis sit neque dissolvi possit, Sponsus eam purgat criminibus carnalibus et in gratiam reconciliat. Quam formam ille appellat ecclesiam christianam vel singillatim ecclesiam militantem.[1] Denique *castissima* quae desierit pugnare est vera uxor quae in patriam intrat. Itaque quae ex aliqua tantum parte fuit ecclesia tum ad absolutam perfectionem perducta erit.[2]

Quos cum gradus percurrerit foedus amoris inter Christum sponsum et quam ille dicit sanctam matrem ecclesiam, consentaneum est diversam esse membrorum naturam, ita ut *sancti*

1) Eccl. p. 5: Quomodo queso tam potens, tam sciolus et tam benivolus, sicut est increata trinitas, eternaliter eligeret sibi sponsam quam finaliter repudiaret? — p. 79: Nam impossibile est Christum unquam non diligere sponsam suam vel aliquam eius partem, cum necessario ipsam totam diligit ut se ipsum. — p. 80: Ex istis videtur quod Christus semper diligit totam ecclesiam ut se ipsum, quia aliquando sic diliget, scilicet post diem iudicii, quando regnabit cum eo (ut patet ex processu Cantici Canticorum). Aliter enim non foret verum matrimonium ex caritate perpetua Christi consencientis ad divinas nupcias, nisi sponsus qui est una persona cum sponsa ipsam diligat ut se ipsum. — p. 117: Sed quoad secundum, conceditur quod ecclesia est virgo, cum sit sponsa virginis Jesu Christi ex qua ut vera matre spiritualiter procreamur, et sic est castissima secundum se totam in patria; hic tamen, fornicando cum adulterante diabolo et sic membris eius, multis criminibus parcialiter est corrupta (ut patet ex fide scripture Ezechielis XVIII°). Verumptamen nunquam recipitur ut sponsa beatifice amplexanda in dextera in lecto sponsi, antequam fuerit pura virgo omnimode sine ruga; Christus enim est sponsus virginitatis. — p. 133: Unde blasphemum est cogitare quod subest potestati humane posse celebrare divorcium inter Christum et matrem suam, sicut carnaliter ymaginamur de defectu in carnali coniugio. Ecclesia enim est virgo spiritualiter intelligendo sicut tota multitudo celestium civium agnum sequencium (ut dicitur Apocalyps. XIV°, 1), unde tales virgines possunt post corrupcionem recuperare virginitatem, sicut non contingit de virginitate carnali, quamvis semper possunt esse virgines.

2) Eccl. p. 420: Sed ecclesia triumphans tantum habet bonos, quia in illa non est macula mortalis neque ruga venialis, et huius corpus scilicet ecclesie militantis caput est Christus ut sponsus. Et hec ecclesia militans fiet triumphans post resurreccionem universaliter, et cotidie fit triumphans in membris particulariter, ita quod ecclesia militans est sponsa, sed ducta in domum sponsi universaliter vel in suis membris fit uxor. — Et sicut hoc exemplo eadem mulier primo est sponsa et per qualitatem duccionis adiectam fit uxor, sic ecclesia militans vel anima fidelis hic sponsa Christi ducta in celestem Jerusalem uxor censebitur.

legis veteris fuerint *christiani in figura, tempore gracie in actu, post diem iudicii in fructu.*[1]

Quamobrem eius tantum ecclesiae quae corpus et sponsam Christi se esse vere possit gloriari sunt illae quattuor notae proprietates.

Ecclesia est catholica. Nam membra habet et ubique in tribus regnis, coelo purgatorio mundo, et omnibus temporibus, cum contineat praedestinatos et praesentes et praeteritos et futuros ab Abelio usque ad finem mundi.[2] Quam definitionem ille recepit ex Augustino et Thoma.[3]

Sed cum una tantum possit esse ecclesia qua omnes contineantur praedestinati, ecclesia vera una dicitur. Quam unitatem praecipue ita Wiclif definit, ut bullae Bonifatii VIII, quae Unam Sanctam incipit, quamquam ordinem consequitur, tamen verbis aliam saepius notionem subiiciat. *Unam sanctam*

---

1) Eccl. p. 397 sq.: Sed notandum quod homines possunt dici tripliciter christiani, scilicet in figura, in effectu et in fructu. In figura vero dicti sunt omnes sancti legis veteris christiani. Si enim dieta dicitur sana propter sanitatem futuram cuius est effectiva, quanto magis patriarche dicuntur pro suo tempore christiani, cum Christus eos denominat membra sua? — In actu autem secundum nomen expressum Christi dicebantur tempore gracie populi christiani et talem nominis denominacionem invocant patres legis veteris super illos; quod et habuerunt, antequam ducti sunt cum Christo ad celum. Sed post diem iudicii habebunt omnia membra sancte ecclesie nomen christiani in fructu perpetuo.

2) Eccl. p. 14 sq.: Nam si ubicunque papa fuerit, ibi est Romana ecclesia, quia eadem ecclesia que Rome edificatur per apostolos succedens ex quibuscunque fidelibus, per idem ecclesia Romana sic est in Anglia et ubicunque fuerit fidelis christianus, quia sancta ecclesia catholica; que non potest stringi secundum se totam in Roma vel cetu pape et cardinalium; sed distenditur per tria loca sancta, scilicet celum, locum peregrinacionis et purgatorium. — p. 96 sq: Absit ergo quod credamus animas fidelium defunctorum tunc non esse partes ecclesie, quando instar Abel a quo cepit ecclesia sunt secure de sua beatitudine corpori Christi insolubiliter incorporate. — p. 392 sq.: Modo non dubium vel ceco logico, si vinea dicti patrisfamilias sit ad sensum misticum sancta ecclesia que ab Abel iusto usque ad novissimum electum sic fructificavit, tunc illa est extencior in etate quam pro hora undecima. Sequitur enim: Deus habet illam ecclesiam, ergo illa est ecclesia, et sequitur: Ab Abel iusto usque ad novissimum electum illa taliter germinavit, ergo per tantumdem temporis ipsa fuit.

3) August. in Ps. 142, v. 1 (Migne 37, 1846.) — Thomas, Opusc. VI, l. c. fol. 69b. — cf. Eccl. p. 81. 391.

ecclesiam catholicam et ipsam apostolicam urgente fide credere cogimur et tenere,[1] *extra* quam *non est salus vel remissio peccatorum:*[2] *corpus Christi misticum;*[3] *unam archam in cubito consummatam; unam tunicam inconsutilem;*[4] *unum ovile* cum *uno pastore;*[5] *unius ecclesiae unum corpus, unum caput, non duo capita quasi monstri.*[6] Probatur autem illa ecclesiae unitas ex Scriptura, cum in Cantico legamus: *Una est columba mea, perfecta mea: una est matri sue, electa genitrici sue,*[7] et in Psalmis: *Erue a framea Deus animam meam et de manu canis unicam meam,*[8] et apud Paulum: *unus deus, una fides.*[9] Nam et unam habet originem praedestinationem et unum terminum, gratiam Jesu Christi atque caritatem, quo singula ecclesiae membra colligantur.[10] Quo efficitur, ut etiam progressus ecclesiae unus sit.[11] Nam cum vinculo naturali multo firmius sit vinculum gratiae, non in eo debet offendi, quod ecclesiae membra variis locis sunt diffusa.[12] Sed

---

1) Eccl. p. 9. — 2) Eccl. p. 11. — 3) Eccl. p. 3.
4) Eccl. p. 10. — 5) Eccl. p. 11. — 6) Eccl. p. 7.
7) Eccl. p. 9. — 8) Eccl. p. 10. — 9) Eccl. p. 10.

10) Eccl. p. 10: Que (i. e. archa) ad sensum misticum figurat sanctam matrem ecclesiam que in brachio domini conservatur et unico fine mandatorum que est caritas consummatur. — p. 104: Omne corpus cuius partes copulantur ad terminum communem est vere continuum (perperam: contitinuum); dicta ecclesia est corpus huiusmodi, ergo conclusio. — p. 105: Ex quo patet quod omnes partes ecclesie collective intellecte copulantur ad eundem terminum communem ex omnibus communibus terminis ecclesie aggregatum. Nam iste communis terminus copulat quamlibet partem quantitativam ecclesie cum alia, hic secundum unam eius partem et hic secundum aliam.

11) Eccl. p 83: Et sic patet ex testimonio sanctorum Augustini, Crisostomi et decreti quomodo est unica sancta mater ecclesia a principio mundi que eternaliter et impermixte amplexata est a sponsi dextera post diem iudicii. Unde, supposita ad istum sensum unitate sancte matris ecclesie, manifestum videtur quod nullus prescitus sit membrum illius ecclesie; nam solum illa est mater ecclesia pro tempore vie que coronabitur, nec habebit hic alias partes quam habebit post diem iudicii. Sed illa mater nostra post diem iudicii, quando erit sine macula vel ruga, non habebit prescitos sed solum predestinatos partes suas.

12) Eccl. p. 136: Aliquis enim est participative Christus ut quodlibet membrum eius, et aliquis personaliter ut solum ipsum caput, et illi qui non capiunt istam distinccionem, non capiunt sensum huius scripture: „Qui adheret Deo, unus spiritus est", et quomodo vinculum caritatis vel gracie est forcius quam vinculum naturale.

quod illa potius quae diffusa videntur unitate fidei caritatis virtutum semper coniunguntur,[1] unum spectantia alterum altero adiuvatur. Itaque cum ecclesia non modo universale sit quo multa singularia continentur, sed eadem sit, quamvis varia fuerit species, a principio mundi usque ad diem iudicii itaque revera sit una totalis persona, Wiclif tam diligenter adhibet notiones corporis et sponsae.

S a n c t i t a s ecclesiae, ut brevi dicamus, eo continetur, quod et origo eius sancta est et propositum. Nam gratia et caritate Jesu Christi meretrix rursus in virginem commutatur et uxor Christi in regno coelorum coronatur, i. e. singula membra militantis ecclesiae maculis rugisque liberabuntur. Sed cum hoc olim futurum sit, tamen etiamnunc ecclesia cogitur sanctitati studere. Quo fit, ut iam in terra dici possit de *violacione sancte matris ecclesie,* quae efficitur non obtemperando legi Sponsi.[2]

Denique ecclesia appellatur a p o s t o l i c a. Apostoli enim sunt *partes plene purgate ecclesie* atque *eadem personalitate* praediti in coelo vivunt qua in terra fuerunt. Quibus ducibus vicarii ecclesiam regunt. Petrus autem operam dat, ut Deus liget et solvat ubicumque ex aequitate iudicatum est.[3]

---

1) Eccl. p. 4 sq.: C a r i t a s autem que „nunquam excidit" est vinculum continuans membra illius corporis; foret ergo contra racionem, vel quod sponsus in persona propria, vel quod alius ex permissione sua laniaret sponsam suam divisione eterna. — p. 85 sq.: Ex quo patet quod unitas sancte matris ecclesie stat in unitate f i d e i e t v i r t u t u m, licet fideles quantumcunque varie localiter sint diffusi. — p. 423: Non enim est racio quare ex omnibus christianis quantumcunque localiter distantibus componitur unum corpus, quin per idem ex beatis et viantibus; nec potest colorari racio, quomodo ex tota multitudine fidei christianorum, licet fuit valde disparis speciei, resultat una f i d e s que est formale quo constituitur ecclesia, quin a pari ex omnibus predestinatis sit una sponsa Christi. Sic enim ex beatis viantibus et dampnatis fit unum genus humanum, unde quod dicitur ecclesiam militantem non esse circumscriptive alicubi, falsum est, cum sit corpus habens unum locum circumscribentem, sicut habet unam fidem, et sic est corpus animatum racionale, nam est corpus sensibile exercens actus vitales, sicut multitudinis credencium erat cor unum et anima una, ut dicitur Act. IV°, 32.

2) Eccl. p. 269: Quantum ad violacionem sancte matris ecclesie, dictum est quod ipsa non violatur nisi per defectum observancie legis sponsi.

3) Eccl. p. 9: Apostoli enim sunt modo in celo in eadem personalitate qua vixerunt in terris, et sunt modo partes plene purgate eiusdem matris

Quae cum ita sint, neque singula membra sine speciali revelatione scire possunt, num ipsi ecclesiae addicti sint, neque aliis hoc discernere licet. *Et isto modo ecclesia est articulus fidei.*[1]

Sed haec hactenus de ea quam ille definit ecclesiae notione. Quam paullo fusius tractavimus, cum apud ipsum quoque eius saepissime fiat mentio. Sed iam hic iuvat admonere, cum permultis locis ecclesiam dicat congregationem praedestinatorum, tamen ad definiendam ecclesiae notionem minus uti eum praedestinatonis notione quam ad eas res quae ad ecclesiae usum pertineant constituendas. Sed qua alia ratione eam adhibeat, postea (c. V) demonstrabimus.

Quae cum ecclesiae notio cogitatione tantum definita videatur, primum quaeritur contentusne ea esse potuerit Wiclif. Sed cum maxime in vita et rebus versata sint eius studia, vix hoc credi potest.

Tum haec exoritur quaestio quomodo notionem cogitatione conformatam ita potuerit adhibere, ut ad res quoque et vitam valeret. Utrum tantum illa distant tantaque est illius inconstantia[2] an ratione coniuncta et bene composita[3] sunt?

Praedestinationis notione constanter adhibita fieri non potest, quin sacramenta signa vana et inania fiant et vis voluntatis virtutisque impediatur. Qui est praedestinatus, membrum est ecclesiae et salvatur, quamvis incognita christiana religione usque ad mortem gentilium morem secutus sit vel inter medios christianos fide repudiata verbum sacramentaque contempserit vitamve inter peccata mortalia degerit. Itaque quid praedestinato opus est sacramentis? Nonne prorsus supervacanea ei sunt? Quid illi constantia virtusque, cum non maiori ei

---

ecclesie, auctoritate quorum sui vicarii iam regunt adolescentulam modo querentem sponsum ecclesie; et sic loquitur decretum XXIV, q I. „Manet“ inquit Leo papa „Petri privilegium, ubicunque ex ipsius equitate fertur iudicium.“ Ipse enim residet in celis videns et procurans quod deus liget et solvat.

1) Eccl. p. 409: Sed tercio modo sumitur ecclesia pro convocacione predestinatorum, sive sint in gracia secundum presentem iusticiam sive non. Et isto modo ecclesia est articulus fidei, de quo loquitur Apostolus Ephes. VI°. Et sic nullus prescitus est de sancta ecclesia, licet sit in illa.

2) Seeberg, Begriff der christl. Kirche. p. 72.

3) cf. Gottschick l. c. 360 sqq. Harnack l. c. III, p. 403 sq. 406 sq. 417.

sint utilitati quam vita inter mortalia peccata acta? Contra praescitus est numquam membrum ecclesiae neque ullo modo salvatur quidquid agit. Et nihil eum iuvat uti sacramentis omnibusque vitiis evitatis optime vivere. Quae cum videamus effici notione illa constanter adhibita, prorsus eam reiiciendam censemus sive ab Augustino laudatur sive a Thoma sive a Wiclifio.

Sed quod ratione concluditur, re numquam videmus doceri. Nam quod singuli omnino nesciunt, utrum praedestinati sint an praesciti, neque ipsi pro se neque alii pro eis ex illa re repetere possunt quae sibi vindicent. Cum formidine autem salutem nancisci studentes pietate et religione ab eo defenduntur quo argutiis seduci possint, nempe ut sacramenta pro supervacaneis et inanibus signis repudient et vitam a sanctitate abhorrentem consulto degant.[1] Sed potius illa formidine perpetua eo impelluntur ut et mediis salutis et ecclesiae disciplinae se subiiciant. Itaque talis est de praedestinatione doctrina ut, si omnino constanter adhibetur, ad res et vitam aptari non possit.

Quam ob rem Wiclif quoque cogebatur paullulum deflectere de eo quod dicit ecclesiam esse numerum praedestinatorum et concedere alias quoque res valere ad ecclesiae notionem conformandam. Quamquam consentaneum est, cum res natura diversae ad unum cogantur, unitatem ipsius notionis existere non posse.

Qua ipsa de causa absoluta illa de praedestinatione doctrina non sufficiebat ad notionem ecclesiae conformandam, cum ex illa intelligi non posset, quo tempore et quo modo illa gratia praedestinationis, quae utrum *qualitas spiritualis* sit an *acceptatio* divina[2], ne sciebant quidem homines, singulis impertiretur. Sed pietas formidine excruciata certi aliquid de hac re cognoscere cupivit. Quod positum esse putabat, id quod iam videbamus apud Augustinum Thomamque, in sacramen-

1) cf. Loofs, l. c. p. 124 sq. 176. 197.

2) Eccl. p. 140: Proporcionaliter ut Deus diligit hominem est ipse gratus Deo, et proporcionaliter habet graciam, non quod illa gracia sit res, que posset per se existere, ut grosse et heretice concepit Pelagius, sed quod gracia sit qualitas spiritualis vel denominacio qua quis est formaliter gratus Deo. — Trial. p. 152 sq.: Quantum ad

tis diligenter utendo, quippe quibus gratia infusa fidem caritate formatam traderet.

Tum Wiclif voluntatis et virtutis hominum ratione habita docuit electum obice opposita fidem caritate formatam quae sibi ex praedestinationis gratia contingat posse arcere. Quod cum dissereret, novam rem a notione doni perseverantiae plurimum abhorrentem de praedestinatione doctrinae admiscuerat. Quin etiam ecclesiam illam quam ita definiverat, ut esset numerus praedestinatorum, vidimus non ob id solum esse unam et sanctam, quod una et sancta est eius origo, sed quod membra diffusa coniunguntur unitate fidei caritatis virtutum et quod obtemperare debent legi Sponsi.[1] Itaque fidei legisque Christi notiones arctissime cohaerent cum verae ecclesiae notione, ut is cuius non melior est iustitia quam plerorumque monachorum et sacerdotum intrare non possit *in numerum*

---

secundum dubium, patet, quod nimis multa schola theologorum intelligunt de gratia, quod sit una spiritualis qualitas quae poterit per se esse. Sed illis confidenter denuntio, quod non fundabunt talem gratiam, sed praeter illam, si ponatur, oportet dare acceptationem divinam, sine qua talis ficta gratia non valeret; et cum illa acceptatio sine tali ficta priori sufficiat, videtur onerosum et blasphemum talem gratiam sic false fingere. Ex parte autem Dei est acceptantia, quae potest etiam dici gratia, et ex parte creaturae est passiva acceptatio, et sic quidam intelligunt illud Johannis I., „De plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia". Nam acceptantia divina et specialiter in humanitate Christi nos omnes praedestinati accepimus gratiam, qua sumus finaliter grati Deo. Et videtur mihi, quod gratia ista, quae dicitur praedestinationis vel caritas finalis perseverantiae non potest a quocunque excidere, quia si excidit, non est illa gratia. Gratia ergo praecise secundum praesentem justitiam est acceptatio, qua Deus acceptat hominem, non ad poenam perpetuam, ut praesciti quandoque vivunt talem vitam, quod Deus illam vitam non imputat ad damnationem perpetuam, et talis gratia manebit in Deo perpetuo, et in homine solum modo quo ad tempus, cum sit illum hominem sic esse in vita dispositum, ut Deus eam non imputet ad damnationem, quod manet per tempus nimis modicum in praescito. Et talem gratiam subjectivam in anima dicitur Deus infundere, et sic de multis aliis locutionibus, ratione quarum necessitati sunt multi ignari in errores multos incidere. Ista autem dispositio cum sit propinqua amicitiae, dicitur ad aliquid, et cum potest rationabiliter dici qualitas ut virtutes, quamvis secundum Aristotelem dicantur in homine relative. Dispositio enim talis gratiosa habet rationem aliquam qualitatis.

1) Vide supra p. 18. 29. — cf. Eccl. p. 37: Et satis est sibi pro fide articuli de ecclesia catholica, ut credat fide formata quod sit una universitas fidelium

militantis ecclesie vel triumphancium beatorum.[1] Neque minus is ab omnibus illuditur qui irrepserit in ecclesiam militantem et aedificare coepit in ea, cum diabolo serviens profuderit naturales potentias.[2] Quodsi meminerimus quanta contentione id professus sit etiam qui in peccatis mortalibus viveret praedestinatum esse membrum ecclesiae, quam non sibi constans fuerit vix quisquam non viderit.

Itaque Wiclif spectans ecclesiam perfectam quae nunc exstat cogitatione, olim re futura est, sola praedestinatione eam effici pro certo habuit. Sin autem cogitabat de ecclesia nondum perfecta i. e. de iis christianis qui desiderant salutem, Augustinum Thomamque secutus hos admonuit non acquiescere in praedestinatione sed abhibendis sacramentis et observanda lege Christi salutem sibi comparare. Quamquam igitur ecclesiam nihil aliud esse nisi numerum praedestinatorum dicit — quod quid secutus fecerit postea intelligemus — tamen non dubitat iubere christianos uti sacramentis (c. III) et obtemperare legi Sponsi. (c. IV).

predestinatorum, salvanda virtute meriti Christi, licet non expressius et particularius descenderit ad aliquem eius vicarium.

1) Serm. I, p. 255: Sic undique oportet plus habundare iusticiam fidelium quam artatam iusticiam scribarum et phariseorum, hoc est, causidicorum et religiosorum privati ordinis, sive sint possessionati ut monachi vel canonici sive fratres, quia aliter non intrabunt in numerum militantis ecclesie vel triumphancium beatorum. — Eccl. p. 84 sq.: Nam nemo nisi predestinatus et sanctus tempore suo sine macula vel ruga est membrum illius ecclesie.

2) Serm. II, p. 264: „Sumptus autem necessarii ad perficiendum“ hanc fabricam sunt opera necessaria ad virtutem cum circumstanciis evangelicis requisitis. Nam intrans religionem Christi et in istis deficiens a tota caterva demonum illudetur, ymmo a Deo et tota triumphante ecclesia subsannatur. Habet enim in sua naturali potencia sumptus sufficientes ad istam fabricam nisi forte stulte et improvide in ministerio dyaboli consumpserit illos sumptus.

III.

Quid de ecclesiae Romanae sacramentis ac ordine Wiclif senserit.

Itaque numerum praedestinatorum esse ecclesiam Wiclif docuit. Sed cum *fidem caritate formatam sufficere cum virtute perseverancie ad salutem*[1] iam supra demonstraverimus, quicunque salvari vult eum illam fidem habere necesse est. Quaerimus igitur primum quid sint illa fides et illa caritas, deinde quomodo christianus utramque sibi acquirat.

Augustinum secutus inter fidem quae creditur et fidem qua creditur esse discernendum declarat.[2] Illa minoris nobis momenti est, cum fidem quae creditur *habeant eque perfectam demones.*[3] Contra Wiclif profitetur fidem esse habitum credendi cuius *unum subiectum* sit *corpus ecclesie quod dispergitur inter patres veteris testamenti tam Hebreos quam gentiles et non artetur ad tempus post mortem Christi et gentem vulgari nomine christianam.*[4] Quae fides quamquam

1) Eccl. p. 42: Sic (ut sepe dixi) si quicunque christianus habuerit fidem caritate formatam in quantumcunque communi, sufficit cum virtute perseverancie ad salutem. — p. 410: Fides autem cum gracia predestinacionis constituit hominem membrum ecclesie sive sit in gracia secundum presentem iusticiam, sive ad tempus iniustus fuerit vel eciam infidelis. — Vide supra p. 17 sq.

2) Eccl. p. 42: Fides nunc sumitur pro actu credendi quo credidur, nunc pro habitu credendi per quem creditur, et nunc pro veritate que creditur. — Trial. p. 133: Sed notandum, quod fides quandoque accipitur pro actu credendi, quandoque pro habitu, et quandoque pro veritate quae creditur. Ideo dicunt fideles, quod prima est fides qua credimus, secunda est fides per quam credimus, et tertia est fides quam credimus. — August. de Trinit. XIII, c. 2 (Migne 42, 1017).

3) Eccl. p. 407: Nec moveat evidencia doctoris: si eandem fidem habent boni christiani et mali singuli, sequitur quod mali christiani eque perfectam et integram fidem habeant ut boni. Nam pertinens est hic loqui limitate de fide qua creditur, quia de fide que creditur eque perfectam fidem habent demones et creature singule ut beate.

4) Eccl. p. 406: Ex istis notare potest logicus quod Augustinus loquitur de fide que est multitudo habituum credendi ab uno principio infusorum. — Et gaudeo tercio quod magistra et mater nostra scriptura habet testes conformes sanctis doctoribus, eius eminenciam attestantes, sic tamen quod dicant consequenter illam unam fidem habere unum subiectum quod est corpus

etiam explicita esse potest, tamen Deus non postulat, *ut omnes filii sui pro omni viacione sua cogitent continue in actu particulari de qualibet fidei particula* neque vult *ecclesiam cum veritatibus inutiliter onerari,* sed hoc *per fidem generalem ecclesiam militantem* contineri.[1] Sed etiamsi fidem nostram explicitam esse non necesse est ad salutem, tamen illa informis esse non debet. Saepe enim homines qui *irretiti peccatis mortalibus bonos mores* sustulerunt, *fidem* defectam et *corruptam* vel *fidem informen* praebuerunt.[2] Tali autem fide informi homo membrum ecclesiae fieri aut a finali pernicie defendi non potest.[3]

---

ecclesie, et tunc oportet dicere quod illud corpus dispergitur inter patres veteris testamenti tam Hebreos quam gentiles et non artare ipsum ad tempus post mortem Christi et gentem vulgari nomine christianam.

1) Eccl. p. 37: Et satis est sibi pro fide articuli de ecclesia catholica, ut credat fide formata quod sit una universitas fidelium predestinatorum, salvanda virtute meriti Christi, licet non expressius et particularius descenderit ad aliquem eius vicarium. Nec oportet credere vel implicite quod iste quicunque Romanus pontifex sit caput cuiusquam particularis ecclesie, nisi Deus ipsum predestinaverit, quia aliter oporteret fidem catholicam esse falsam et christianum fateri mendacium. Et ita, sicut non est de substancia fidei credere explicite quod iste Bonifacius, Clemens vel Urbanus sit predestinatus vel membrum sancte matris ecclesie, sic nec est de necessitate salutis omnium christianorum secum conversanciun, ut explicite credant ipsum esse caput cuiusquam ecclesie, nisi facta et vita evangelica evidencius moveant ad credendum. — p. 42 sq.: Non enim exigit Deus, ut omnes filii sui pro omni viacione sua cogitent continue in actu particulari de qualibet fidei particula, sed satis est quod postposita desidia habeant fidem in habitu formatam. — Dial. p. 28: Fidem autem implicitam dicunt (scolastici) esse quamcunque veritatem juxta illud apostoli prima cor. 13⁰ Caritas omnia credit, et tamen infinite sunt veritates de quibus non oportet nos hic habere fidem explicitam; cum sufficit fideli quod credat quamcunque veritatem secundum gradum et formam qua deus vult ipsum hanc credere. Ut carnis resurreccionis est articulus fidei cuilibet Christiano, et tamen non oportet de qualibet persona hominis habere expressum articulum fidei quod resurget. Sed deus vult quod per istam fidem generalem sua militans ecclesia excusetur. Non enim vult quod sua ecclesia cum veritatibus inutiliter oneretur.

2) Eccl. p. 407: Et corrupte habent fidem qui irretiti peccatis mortalibus corrumpunt bonos mores et ex informitate fidei finaliter corrumpuntur. — p. 408: Et sic quamvis infidelis eciam dyabolus credat veritatem fidei catholice, verumptamen secundum partem est infidelis et racione mortalis habet fidem corruptam et informem.

3) Eccl. p. 63: Ad tercium negatur ad sensum scripture quod omnes homines sunt fideles. Conceditur tamen cum Damasceno quod omnis homo

Quamobrem necesse est fidem caritate formari[1] neque quisquam membrum ecclesiae esse potest qui non habet fidem caritate formatam. Quin etiam omnes qui credunt habent necessario caritatem et *quicunque in ea deficiunt sunt infideles.*[2] Ex quo sequitur, ut Wiclif fidem postulans nihil aliud nisi caritatem commendet. Atque Wiclifio quoque id quod iam supra demonstravimus de Augustino multo plus quam fides valere videtur caritas in bonis operibus versans.[3]

Quamobrem qui neque *finalem perseveranciam* possident et *caritate perfecta* carent, *induere* non possunt *caput Christum* aut ipsi membra corporis Christi fieri.[4]

Homines autem neque credere neque diligere neque aliam virtutem adhibere vel beatitudinem mereri possunt, nisi gratiam a Deo acceperunt.[5] Atque illa gratia, qua fidem caritate

---

habet fidem saltem informem, cum naturaliter prima impressione entis cognoscit saltem confuse primo omnium Deum esse et omnem articulum fidei. Sed ista fides informis non sufficit denominare hominem fidelem vel partem ecclesie, sed oportet excludere omnem infidelitatem finalem. — p. 410: Nam fides omnino informis, sive infusa sive adquisita, non sufficit constituere personam, ut sit de ecclesia, quia cum illa fide stat hominem dampnari perpetuo.

1) Eccl. p. 110: Et sic habet quilibet predestinatus fidem formatam caritate predestinacionis secundum quam constituitur ecclesia vel eius membrum. — Trial. p. 133: Et fides (ut dicunt scholastici) alia est informis, cum „credunt daemones et tremescunt" et alia est fides caritate formata.

2) Trial. p. 133 sq.: Videtur tamen mihi, quod fidelis secundum integritatem fidei habet necessario caritatem, cum daemones, et quicunque in ea deficiunt, sunt secundum aliquid infideles.

3) August. de spir. et litt. c. 30. 33. 36 (Migne 44, 233. 238. 239. 243). — Cf. Thomasius, l. c. (2) I, p. 532 sqq. — Vide supra p. 4.

4) Eccl. p. 63: Doctrina autem Christi sunt humilitas, caritas et paupertas. Quicunque ergo oderit ista, non imitando Christum ut aquila, scito quod non sit de sua ecclesia. Et sic tres gentes excluduntur a membris ecclesie qui omnino peccant in fide, scilicet omnino infideles ut pagani; heretici ut sacerdotes et pharisei cum eis similibus qui nunquam gustaveruut dulcedinem spei beatitudinis ex imitacione sapiencie incarnate, sed resident facietenus in ecclesia gracia affeccionis primatuum temporalium et carnalium voluptatum; tercii vero qui gustaverunt paululum digestionis divine, sed propter defectum caritatis perfecte aut finalis perseverancie excidunt tamquam inhabilia, ut formaliter induant caput Christum; et hii peccant in trinitatem et tres virtutes catholicas. — Vide supra p. 34 n. 1.

5) Trial. p. 132 sq.: Istas autem virtutes quattuor (i. e. cardinales), sicut quamcunque virtutem moralem, est impossibile inesse homini, nisi assit gratia

formatam quae omnium virtutum vim communicat accipiunt, quae ad salutem omnino necessaria est, a Deo hominibus iisque praedestinatis, ut infra disseremus (p. 44), in baptismo infunditur.[1] Quamobrem *gratia baptismalis*[2] vel *gratia* bene vivendi *infusa* appellatur.

Itaque quaeritur primum (p. 37—39) quid sit commune huius gratiae ad virtutem infusae cum gratia praedestinationis supra commemorata, deinde (p. 44—46) qualis ratio intercedat inter gratiae infusionem et baptismum.

Supra iam demonstravimus Wiclifium saepe de gratia praedestinationis egisse, nusquam autem perspicue explicasse qualis ista gratia praedestinationis sit et quo modo hominibus tribuatur. Utrumque autem nos cognoscere eo magis oportet, quod vidimus praeter gratiam quae praedestinationis est illam aliam gratiam ad virtutem infusam a Wiclifio nominari. Quamobrem quaerimus utrum altera alteram antecedat an haec illa supervacanea fiat an utraque idem velit. Nam si ecclesia constat ex numero praedestinatorum, si omnibus praedestinatis sine dubio salus contingit, illi omni alia gratia sacramentis sibi data facile carere possunt. Sin autem fideles quibus in sacramentis fides caritate formata infunditur ecclesiam efficiunt, quicumque sacramentis utitur fidem sibi acquirere atque fide ad salutem aeternam progredi potest neque intelligitur cur soli praedestinati illius salutis compotes esse dicantur. Quamquam Wiclif conatus est ea quae ratione segregaverat re coniungere et constituere ne inter se differrent qui praedestinati essent et quibus in sacramentis gratia ad fidem caritatemque et omnes alias virtutes apta infusa esset. Nam

---

Dei sui. Quomodo quaeso posset homo mereri beatitudinem, vivendo et agendo secundum beneplacitum Dei, nisi Deus ex magna sua gratia hoc acceptet? Ideo quidquid homo egerit, vel natura creata in ipso genuerit, non dicitur virtus moralis meritoria praemii vel laudis perpetuae, nisi illa virtus ab alto venerit, et per consequens ex gratia Dei sui.

1) Eccl. p. 408: Nec refert quoad illam informitatem, sive fides acquisita fuerit sive infusa, ut loquitur decretalis in Clementinis De Summa Trinitate et Fide Catholica, capitulo „Firmiter", dicens quod regulariter fides infunditur in baptismo; quod ego credo de omni predestinato rite baptizato.

2) Serm. I. p. 25: Sicut corporalis baptizacio non per se confert graciam baptismalem, sic non obest post baptizacionem Johannis fideles in nomine Christi iterum baptizari.

ut nemo asserere potest se esse praedestinatum atque membrum ecclesiae, *nisi habuerit specialem revelacionem*,[1] sic nemo cognoscit se bonis moribus excellere, *nisi a Deo sibi fuerit specialiter revelatum.*[2] Sed non modo in hac re illae duae gratiae inter se congruunt, sed Wiclif declarat quoque praescitum credere non posse, praescitum et infidelem idem velle.[3] Ex quo sequitur, ut, si praesciti credere non possunt et omnes infideles habentur, modo praedestinatis fides caritate formata in sacramentis infundatur, ut ad vitam bonam apti fiant.[4] Quin etiam quemlibet praedestinatum fidem caritate formatam possidere apud Wiclifium scriptum videmus.[5] Qua de causa Wiclif verbis impune mutatis dicere potest cum gratia praedestinationis sola tum illa quae cum fide caritate formata consociata sit fieri hominem membrum ecclesiae.[6]

Itaque praedestinationis gratia et gratia baptismalis idem volunt, vel illa quae baptismo (p. 44—46) infunditur electi fidem caritate formatam atque ad salutem omnino necessariam assequuntur. Atque videmus Wiclifium non minus quam

---

1) Eccl. p. 5: Nullus vicarius Christi debet presumere asserere se esse caput ecclesie sancte catholice, ymmo nisi habuerit specialem revelacionem, non assereret se esse aliquod membrum eius. — Sicut igitur homo sine speciali revelacione non assereret sine formidine se esse predestinatum, sic nec assereret se esse membrum, et per consequens, non caput illius ecclesie.

2) Trial. p. 133: Et ex isto patet quod nemo cognoscit, si sit moraliter virtuosus, nisi a Deo sibi fuerit specialiter revelatum.

3) Trial. p. 135: Omnes autem praesciti et criminosi secundum praesentem injustitiam sunt etiam infideles, cum impossibile sit quemquam peccare, nisi de tanto in fide deficiat, quia si poenam infligendam sic peccantibus plene crederet, et haberet fidem divinae notitiae, quomodo clare cognoscit omnia, cum aliis veritatibus credendis, non tunc indubie sic peccaret.

4) Eccl. p. 408: Regulariter fides infunditur in baptismo; quod ego credo de omni predestinato rite baptizato. — p. 474: Nam causa celestis particularis coniugii est opus meritorium viatoris, et causa operis meritorii est gracia infusa, et causa gracie infuse est predestinacio que quasi ultimus finis citra Deum dignificat ecclesiam ad illud coniugium.

5) Eccl. p. 110: Et sic habet quilibet predestinatus fidem formatam caritate predestinacionis secundum quam constituitur ecclesia vel eius membrum. — p. 111: Et sic omnes predestinati habent continue fidem gracia predestinationis formatam, et sic non cadit a membris ecclesie per mortale.

6) Vide supra p. 33 n. 1. p. 34 n. 1. p. 38 n. 5.

Augustinum docere gratia infusa id effici quod praedestinatione iam ab aeternis temporibus conclusum vel praeparatum sit.[1]

Deinde ut agamus de ratione quae intercedat inter gratiae infusionem et baptismum, prius nobis generatim atque universe, quid de sacramentorum notione Wiclif docuerit, disserendum est. Supra enim explicavimus non necesse esse videri omnes praedestinatos sacramentis utentes fidem atque gratiam ad virtutem sibi acquirere quoniam gratia praedestinationis tam valida est, ut per eam ipsam quivis praedestinatus salutem consequatur. Quin etiam Wiclif docet *sine sacramentis sensibilibus* fidem generalem et implicitam in nobis et in ecclesia conservari et nos illa fide eo validius et firmius cum Christo coniungi posse.[2] Tamen alio loco exponit sacramenta toti ecclesiae utilitati esse. Nam quod pertinet potissimum ad baptismum gratiam fidei communicantem, eum electis summi esse momenti et supra breviter indicavimus et infra accuratius exponemus. Cum autem et ceteri ritus animos ad Christum *secundum animam in fide et caritate* accipiendum conforment, signa sensibilia minime sunt negligenda, sed nobis credendum est *omnia sacramenta sensibilia rite ministrata habere efficaciam salutarem.*[3]

---

1) Thomasius, l. c. (2) I, p. 540.

2) Eccl. p. 457: Ulterius videtur quod sine sacramentis nostris sensibilibus de possibili servatur fides in nostra ecclesia, servata in nobis cum caritate fide catholica. Nam articuli fidei catholice sunt generales et non implicant quod iste sit sacerdos, quod hic sit corpus Christi et sic de aliis nisi de quanto veritas est substrata. — p. 458: Sed redeundo notandum est quod non sequitur ex isto quod haberetur quoad sacramentum eukaristie devocio laicorum, quia potest contingere quod efficacius et meritorius accipiat laicus corpus Christi, credendo in ipsum in celo et credendo generaliter sacramentum universalis ecclesie, quam datus laicus vel sacerdos qui sub actibus sacramentalibus corporalibus accipit corpus Christi.

3) Eccl. p. 458 sq.: Nam ritus talis non proficit nisi de quanto disponit ad accepcionem et manducacionem corporis Christi secundum animam in fide et caritate (de qua manducacione Joh. VI° loquitur Jesus noster). Non enim nego quin necesse sit nos in vita intendere signis sensibilibus in quibus stat modo suo christiana religio, cum debemus credere quod omnia sacramenta sensibilia rite ministrata habent efficaciam salutarem. — Serm. I, p. 166: Non tamen nego quin devote ac meritorie contingit fidelem ministrare et accipere huiusmodi sacramenta.

Ad quam non necesse est sacerdotes ministrantes esse homines fideles et bonos. Nam cum Deus ipse *celebracioni rite factae* clementer adsit *dando gratiam,*[1] fides vel virtus sacerdotis ministrantis est nullius momenti. Quin etiam praescitum sacerdotem *in mortali peccato* quoque *actuali fidelibus ministrare sacramenta* quamvis cum suo damno, *tamen subiectis utiliter* constat.[2] Omne autem sacramentum *equivocum* fieri potest, si qui illud suscipit quasi obicem ponens se ipsum indispositum praebet atque facultatem suscipiendi amittit.[3] Qui autem pro indisposito habendus sit, ex eo concludere possumus quod eum qui *semine fidei servato* usque ad finem perseveraverit *finaliter premio* donandum esse docet, *de quantumcunque malis sacramenta et legem Dei receperit.*[4] Quo ex loco et aliis infra (p. 44 sq. 54 sq.) afferendis cum causa concludere posse nobis videmur eum solum qui perseverantiam finalem possideat i. e. praedestinatum sacramentis efficacibus frui. Cum autem nemo certe sciat utrum ipse sit electus necne et cum eventus omnis

1) Eccl. p 511: Unde dicitur communiter quod regulariter in celebracione ordinum rite facta Deus graciose coassistit dando graciam. — Serm. I, p. 25: Et videtur mihi quod quicunque corporaliter rite baptizaverit, Deus spiritualiter baptizat, et quantumcunque quis baptizaverit, servando ceremonias, Deus si sibi placuerit non baptizat. — Sive fidelis sive infidelis ex animo in nomine Christi baptizaverit, Deus non obstante indignitate persone quod suum est perficit, quia aliter in confeccione eucaristie et ministracione cuiuscunque sacramenti alterius foret ecclesia perplexa.

2) Eccl. p. 448: Videtur autem mihi quod prescitus eciam in mortali peccato actuali ministrat fidelibus, licet sibi dampnabiliter, tamen subiectis utiliter sacramenta. — Sic ergo sacerdotes mali iniuriantur sed non nocent piis fidelibus non demerentibus ministrando eis ecclesiastica sacramenta.

3) Eccl. p. 510 sq.: Sed tercio modo sumitur ordo pro sacramento sensibili quod est ordinancia episcopi ad sacrum officium supra laycos in ecclesia ministrandi. — Et ideo necesse est peccatorem ordinandum conteri de peccatis. Deus enim dans potestatem ad ministrandum dat eciam graciam ad officium exequendum nisi indisposicio ordinati (i. e. suscipientis) prepediat. Unde in baptismo et quocunque alio sacramento subducta assistencia Christi dantis graciam, que sit res sacramenti, fit ex indisposicione suscipientis sacramentum equivoce.

4) Eccl. p. 470: Correspondenter inter christianos quicunque servaverint semen fidei patris nostri Jesu, de quantumcunque malis processerint quoad carnem, de quantumcunque malis sacramenta et legem Dei receperint, si perseveranciam finalem servaverint, sunt finaliter premiandi.

sacramentorum fruitionis Deo soli sit cognitus, Wiclif volebat quemvis christianum sacramentis Romanae ecclesiae diligenter uti.

Ex quibus cognoscitur Wiclifium de sacramentorum notione atque necessitate idem voluisse et cogitasse quod ecclesiam papalem: eum qui Christo adhaerere vellet etiam fidem caritate formatam sacramentis sibi acquirere debere. Quamobrem etiam septem esse sacramenta non negavit neque eorum ulla reiecit praeterquam quod multo post in libro qui inscribitur Trialogus quem fine vitae composuit non omnia illa sacramenta sacra scriptura probata et argumentis conformata esse contendit. Quin etiam *suo modo christianam religionem in signis sensibilibus stare* docuit.[1] Qua de causa non miramur ab illo ecclesiam non modo ita definitam esse, ut sit numerus praedestinatorum, sed etiam pro visibili institutione, pro congregatione eorum qui sacramentis gratiam fidei caritate formatae acceperint i. e. pro congregatione fidelium vel baptizatorum habitam esse.

Atque ut de baptismo primum agamus, non omittendum est Wiclifium quamquam baptismo passionem et mortem Christi nobis in memoriam modo revocari atque significari docuit nos cum Christo tribulari et pati, nos cum Christo mori et sepeliri, nos cum Christo ad novam vitam excitari et resurgere,[2] tamen et baptismo gratias communicari con-

1) Eccl. p. 458 sq.: Non enim nego quin necesse sit nos in vita intendere signis sensibilibus in quibus stat modo suo christiana religio, cum debemus credere quod omnia sacramenta sensibilia rite ministrata habent efficaciam salutarem.

2) Serm. II, p. 448 sq.: Predicacioni autem oportet baptizacionem adiungere, cum per hoc memoria passionis et mortis Christi devocius memoratur et ideo baptismus fluminis a Christo precipitur. Nam Matthei ultimo Christus precipit ad sensum expositum: „Ita docete omnes gentes, baptizantes eos.“ — III, p. 331 sq.: Nam baptizacio qua baptizamur in Christo signat motus quomodo debemus ut sic mortificari viciis et ablui a peccato et aliter baptizacio foret frustra. Baptismus autem noster contrahit virtutem a morte Christi, cum aqua qua abluimur signat suam tribulacionem ab inicio sue passionis usque ad mortem suam inclusive. Immersio vero in aquam signat nos sepeliri cum Christo quoad peccata mundi et sic mori peccato, et levacio de fonte signat tam Christi resurreccionem quam nostram qua in via surgeremus ad novam vitam mundam a peccato sine interrupcione, sicut Christus resurrexit immortalis, nam ablutus in flumine surgit.

tendisse. Qua in re quam non sibi constiterit Wiclif iam videbimus.

Nam cum tria baptismi genera adhibeantur, quaeritur quod ex illis per se aliquam gratiam attribuat. Respondetur neque corporalem baptismum neque baptismum sanguinis qui martyrium appellatur sed solum baptismum flaminis per se gratiam baptismalem referre; nam si hic defuerit, illos priores quantumcumque affuerint non prodesse animae ad salutem. Quamobrem ex illis tribus baptismi generibus modo baptismus flaminis alicuius pretii esse videtur, cum illo solo homines salutem recipiant, alia illa genera ut signa antecedentia nisi ex suppositione non necessaria videantur. Qui flamine baptizetur eum ex merito mortis Christi et peccatis purgatum et gratia dignatum esse credimus.[1] Atque contradicenti et decla-

---

1) Trial. p. 285 sq: Unde dicitur communiter, quod triplex est baptismus ecclesiae, scilicet baptismus fluminis baptismus sanguinis et baptismus flaminis, et quilibet eorum cum paribus sufficit ad salutem. Baptismus fluminis est baptismus cum aqua materiali, de quo baptismo crebrius est locutum. Baptismus autem sanguinis est lotio, qua animae martirum sunt purgatae. — Baptismus autem flaminis est baptismus Spiritus Sancti, qui est simpliciter necessarius cuilibet homini, si salvetur. Ideo duo baptismi priores sunt ut signa antecedentia, et ex suppositione necessaria ad istum tertium baptismum flaminis. Ideo absque dubitatione, si iste insensibilis baptismus affuerit, baptisatus a crimine est mundatus, et si ille defuerit, quantumcunque affuerint priores, baptismus non prodest animae ad salutem. Ideo cum iste sit insensibilis et tantum nobis incognitus, videtur mihi imprudens praesumptio, taliter salvationem hominis vel damnationem ex baptismate diffinire. — Serm. I, p. 25: Sed sicut corporalis baptizacio non per se confert graciam baptismalem, sic non obest post baptizacionem Johannis fideles in nomine Christi iterum baptizari. Sed post baptismum Christi foret superfluum ac temerarium quemquam rebaptizari, cum nec evangelium hoc precipit, nec ad baptizacionem flaminis corporalis baptizacio sit absolute necessario requisita. — II, p. 419: Baptismus autem flaminis est absolute necessarius salvandis, ideo dicit evangelium conversive quod „credens et baptizatus salvabitur“ et quod quicunque „qui semper fuerit non credens condempnabitur“. — III, p. 42: Et si obicitur quod propria baptizacio in aqua materiali non absolute requiritur, ego confiteor cum sufficit baptizacio flaminis per meritum et effluxum aque materialis de latere Salvatoris. Ideo vere dicit Apostolus (ad Rom. VI°, 3): „Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus“. — Ideo baptismus delet ex habundante gracia quodcunque peccatum quod invenit in subiecto, quia si unum peccatum mortale remaneret, oporteret quecunque alia comitari et sic

ranti neminem nisi renatum ex aqua et Spiritu Sancto introire posse in regnum Dei respondet Wiclif illam aquam non esse flumen in baptismo exhibitum sed aquam de latere Salvatoris effusam[1] quae cum Spiritu Sancto coniuncta baptismum flaminis constituit. Ex quibus igitur renatum esse i. e. flamine baptizatum esse debere qui ad salutem pervenire velit.

Nunc autem cum ille baptismus flaminis insensibilis atque nobis incognitus sit, tantum abest, ut quemvis aqua baptizatum pro salvato habeamus, ut Deus non cogatur cuicumque baptismus fluminis rite communicatus est ei donum gratiae tribuere. Sed ut iam apud Augustinum legimus aliud esse visibile sacramentum quod et bonis et malis contingat, aliud invisibilem unctionem caritatis quae propria bonorum sit,[2] sic etiam Wiclif docet Deum omnia libere constituentem et agentem etiam gratiam baptismalem ei soli tribuere quem praedestinavit. — Neque Deus consilium suum mutat sive fluminis baptimus adest sive abest. Nam si aliter res se haberet, divinum consilium humano consilio vel facto commutaretur. Quin etiam Deus non flumine indiget, ut suos gratiae participes faciat, sed alia via illius gratiae baptismalis participes fieri

---

gracia nullum mortale tolleret, cum Jesus Christus salvator noster dat Spiritum Sanctum cum Patre, eo quod est cum illo unum et idem Spiritus Sancti principium.

1) Trial. p. 286: Et sic ulterius quantum ad fidem scripturae Johannis III.: „nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Santo“ etc., probabiliter potest dici, quod Christus loquitur de aqua quae fluxit de suo latere, et de baptismo tertio, quia certum videtur, quod homo martirisatus pro Christo, licet non irroretur noviter aqua baptismatis, est salvandus. Ideo videtur probabile ad illum sensum negativum Christi intelligere, scilicet quod nemo potest introire in regnum coelorum, nisi baptismate aquae effluxae de latere Christi et baptismate flaminis baptisetur, cum Trinitas non potest salvare lapsos ad beatitudinem acceptando, nisi persona secunda et tertia ita purgent. — Serm. I, p. 61: Cum enim sit triplex baptismus scilicet fluminis, sanguinis et flaminis, videtur quod stat hominem salvari, licet non fuerit flumine baptizatus. Et dictum Christi Joh. III, 3: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei“, intelligitur de baptismo flaminis facto virtute aque que effluxit de latere salvatoris. — Cf. Thomas, Summa theol. III, suppl. qu. 17 art. 1: Et quia ex latere Christi dormientis in cruce sacramenta fluxerunt, ex quibus Ecclesia fabricatur, ideo in sacramentis Ecclesiae efficacia passionis manet.

2) August. c. litt. Petil. II, c. 104 (Migne 43, 342 sq.).

possunt. Nam Wiclif si concedit baptismum in ipsa aqua materiali non omnino necessarium esse sed baptismum flaminis sufficere, idem concedere videtur flamen sine flumine hominibus a Deo tribui posse, cum praesertim nusquam declaret solum per baptismum fluminis homines flamen ad salutem omnino necessarium accipere posse.[1]

Tamen alio loco docet fidem infundi omni praedestinato rite baptizato vel nos credere debere Deum rite baptizatis *persone indignitate non obstante* gratiam attributurum esse.[2] Quin etiam sacramentum baptismi adeo necessarium esse Wiclif alio loco docet, ut absentibus clericis a laicis quoque aqua baptizari possit.[3] Dubitanti autem respondetur baptismum fluminis nulla re negligendum esse primum quia a Christo praeceptum sit, ut omnes gentes doctrina instituantur et baptizentur.[4] Tum quamquam efficacitas baptismi ambigua sit, tamen *quia in ambiguis pars securior tenenda* esset, securius videri, ut quilibet christianus si licet a proximo quoque baptizari celeriter baptizetur.[5] Denique Deum ita constituisse ut baptismo rite effecto electis gratia infunderetur.[6]

1) Serm. I, p. 25: (Cum) nec ad baptizacionem flaminis corporalis baptizacio sit absolute necessario requisita.

2) Vide supra p. 38 n. 4. p. 40 n. 1. 3. 4.

3) Serm. I, p. 25: Propter necessitatem sacramenti baptismi tam clerici quam laici possunt homines baptizare. — Trial. p. 287: Credimus tamen, quod quacunque vetula vel abjecta persona rite lavante hominem cum verbis sacramentalibus, baptismum flaminis Deus complet. Modicum enim valent signa nostra, nisi de quanto illa Deus acceptaverit gratiose.

4) Serm. II, p. 418 sq.: Predicacioni autem oportet baptizacionem adiungere, cum per hoc memoria passionis et mortis Christi devocius memoratur et ideo baptismus fluminis a Christo precipitur. Nam Matthei ultimo Christus precipit ad sensum expositum: „Ite docete omnes gentes, baptizantes eos". — Trial. p. 286: Et ita Christus subtilitate et brevitate mirabili docuit primum baptismum in istis verbis evangelicis observari. Non enim licet fidelibus, supponendo baptismum flaminis, baptismum fluminis omnino relinquere, sed necesse est data opportunitate circumstantiae ipsum accipere.

5) Serm. I, p. 61: Sed quia in ambiguis pars securior est tenenda, videtur michi securius quod quilibet christianus habens opportunitatem, ut a suo proximo baptizetur debet celeriter baptizari.

6) Eccl. p. 408: Regulariter fides infunditur in baptismo; quod ego credo de omni predestinato rite baptizato. — Serm. I, p. 25: Et videtur mihi quod quicunque corporaliter rite baptizaverit, Deus spiritualiter baptizat, et quantum-

Itaque cum et baptismus fluminis cuiusdam momenti sit, recte quaeritur qualis ille baptismus esse debeat, ut pro rite effecto habeatur et forsitan gratiam ad vitam fidelem necessariam praebere possit. Ut praetermittam Deum gratiam iis modo tribuere quos ut dignos et sibi placentes elegerit, omnis baptismus fluminis pro rite effecto et efficaci nobis habendus est quem minister non consulto irritum fecerit infidelitatem vel derisionem ut obicem ponens. Sed id quod etiam apud Augustinum legimus si haereticus vel infidelis minister ex animo baptizaverit, Deus *non obstante indignitate persone* quod suum est perficiet. Neque quidquam interest more Latinorum an Graecorum verba et caerimoniae adhibeantur quia *fides ecclesie et virtus sacramenti* iam satis ad baptismum flaminis praeparant. Tunc igitur modo cum ministrans consulto baptismum vanum reddidit baptizatum rebaptizari necesse est.[1]

Atque respicientes quanto studio Wiclif admoneat, ne baptismus negligatur persuasum habemus illum putasse quamquam fieri potuerit, ut nonnulli electi ex Judaeis vel gentibus sine baptismo ad salutem pervenirent, tamen intra ecclesiam

---

cunque quis baptizaverit, servando ceremonias, Deus si sibi placuerit non baptizat. — Vide supra p. 40.

1) Serm. I, p. 25 sq.: Debemus tamen credere quod Deus baptizat regulariter, quando ministri eius non ponunt obicem (i. e. consulto). Sive fidelis sive infidelis ex animo in nomine Christi baptizaverit, Deus non obstante indignitate persone quod suum est perficit, quia aliter in confeccione eucaristie et ministracione cuiuscunque sacramenti alterius foret ecclesia perplexa. Sed dato quod quis ficte et infideliter baptizat, deridendo ut graculus, licet ex debito in baptizatum sacramentaliter baptizare. Sive autem fiat baptizacio sub hiis verbis: „Ego te baptizo in nomine patris et filii et spiritus sancti“, sive sub istis: „Baptizo te in nomine domini nostri Jesu Christi“, sive more Grecorum sub istis: „Baptizet te Deus“, sive ter fiat immersio sive semel, non pono vim, quia fides ecclesie et virtus sacramenti faciunt preparatorie ad baptizacionem flaminis quantum debent. Aqua autem debet esse prope elementarem non sensibiliter commixta. Nec refert multum sive homo immersus fuerit sive aqua fuerit super eum infusa, quia sic Baptista et apostoli baptizarunt. — Trial. p. 286 sq.: Et ita debet intelligi, quod cum infidelis baptisat puerum, et non reputat quod illa baptisatio proficiat ad salutem, baptismus talis non proderit baptisato. Verum quidem est, quod quilibet criminosus est nimium infidelis et multis paganis infidelior, de quibus tamen supponimus, quod eorum baptisatio sufficiat baptisato. — August. de bapt. c. Donat. IV, c. 17 (Migne 43, 170).

Romanam nulla alia re nisi baptismo fluminis gratiam a Deo recte infundi[1] eamque ob rem illum se indignum et nescio an praescitum praebere qui baptismum accipere noluerit, eum autem caritate carere qui non alterum baptismi ut summi boni participem reddere studeret. Sacerdos autem qui caritate carens non operam dat ut alteros ad salutem adducat non pro membro Christi, sed pro ecclesiae proditore habendus est.[2] Tanti igitur apud Wiclifium baptismus fluminis quem alio loco vera efficacitate carere censet aestimatur, ut eum qui opportunitate oblata baptismum fluminis negligat salvari non posse, eum autem sacerdotem qui illo quam plurimos imbuere non studeat se ipsum ex ecclesia excludere definiat. Quo probatur ecclesiae sacramentorum plurimum interesse Wiclifium docuisse.

Neque igitur miramur ex omnibus septem sacramentis baptismum a Wiclifio maxime commendatum esse, quippe quo fere solo putaverit gratias hominibus a Deo infundi eodem modo quo etiam Augustinus ex ecclesiae quam visibilem dicunt sacramentis ordinibusque baptismum solum ad salutem

---

1) Trial. p. 286: Non enim licet fidelibus, supponendo baptismum flaminis, baptismum fluminis omnino relinquere, sed necesse est data opportunitate circumstantiae ipsum accipere. Et cum omnia quae eveniunt de necessitate evenient, dici potest, quod talis homo non potest salvari sine illo baptismate; hoc tamen cognoscimus solum reputative, postquam baptisatio est completa.

2) Serm. II, p. 448 sq.: Predicacioni autem oportet baptizacionem adiungere, cum per hoc memoria passionis et mortis Christi devocius memoratur et ideo baptismus fluminis a Christo precipitur. Nam Matthei ultimo Christus precipit ad sensum expositum: „Ite docete omnes gentes, baptizantes eos." Baptismus autem flaminis est absolute necessarius salvandis, ideo dicit evangelium conversive quod „credens et baptizatus salvabitur" et quod quicunque „qui semper fuerit non credens condempnabitur". Cum ergo talis salvacio sit bonum optimum, quia finis ultimus est eligibilis viatori et dampnacio sit finis pessimus maxime sibi horribilis, patet excellencia fructus huius officii. Quicunque autem sacerdos aliquem gradum habuerit caritatis debet principaliter officio isti intendere, quia aliter nec Christum nec se ipsum diligit nec regulariter proximum ut se ipsum. Cum enim quilibet necessitatur affectare suam beatitudinem et debet diligere regulariter proximum ut se ipsum, debet affectare quod proximus sit beatus. Et cum non potest esse beatus nisi recte crediderit, debet hoc antecedens appetere. Sed quomodo ipsum appeteret, si habet a Christo hoc iniunctum officium et tamen segniter dimittit evangelium. Et non dubium quin impedientes cursum huiusmodi verbi Dei sunt Christi et ecclesie notorie proditores.

prorsus necessarium esse docuit. Ex quo facile intelligitur alia sacramenta ab ipso saepius vel examinari vel vituperari vel negligi. Eucharistiam quidem hic pro inutili censet, illic commendat. Atque ut hoc praetermittamus omnia ea instituta quibus ecclesia papalis falso eucharistiam deformaverat a Wiclifio graviter vituperata et reiecta esse eumque doctrinam de transsubstantiatione removeri iussisse aut hostiam *oculo corporali* propalam collocatam adorari aut propter sacerdotum honorem atque lucrum omnes semel quotannis ad sacramentum ire cogi[1] saepe et gravissime vetuisse, nescio ipsis his moribus pravis an alia causa Wiclif commotus sit, ut totam eucharistiam minoris momenti esse censeret baptismo.

Scimus enim Augustinum docuisse panem et vinum figuras vel signa esse corporis et sanguinis Christi atque illis visibilibus signis significari modo corpus illud Christi invisibile i. e. sanctam ecclesiam, modo nostram cum ipso Christo coniunctionem.[2] Manducare igitur Christi corpus et bibere eius sangui-

1) Trial. p. 255 sq.: Et non dubium etiam laico idiotae, quin sequitur, „iste panis est corpus Christi, ergo iste panis est et per consequens manet panis, et sic simul est panis et corpus Christi“. Exempla autem grossa possunt poni pro ista materia attestanda: non enim repugnat veritati quod homo, dum fit dominus vel praelatus ecclesiae, desinat esse eadem persona, sed maneat omnino eadem substantia quodammodo exaltata; sic oportet credere, quod iste panis virtute verborum sacramentalium fit consecratione sacerdotis primi veraciter corpus Christi, et non potius desinit esse panis, quam humanitas ex hoc, quod fit Deus, desinit esse homo; cum natura panis non ex hinc destruitur, sed in digniorem substantiam exaltatur. Numquid credimus quod Baptista ex hoc quod fuit factus Helias virtute verborum Christi Matth. XI., desiit esse Johannes vel aliquid quod substantialiter ante fuerit? Conformiter non oportet, quod licet panis incipiat esse corpus Christi virtute verborum suorum, desinat esse panis, cum panis fuit substantialiter, ex hoc quod incipit esse sacramentaliter corpus Christi. cf. Trial., lib. IV, c. 2–10. — Serm. I, p. 165: Ex quibus colligitur quod melius foret cogitare Christum devote secundum racionem qua viando promeruit vel secundum racionem qua modo in celestibus est beatus quam videndo eukaristiam oculo corporali. Hoc enim est commune bestiis et infidelibus quantumque sceleratis. — Scio tamen quod sacerdotibus et prelatis qui super istis habent honorem suum et lucrum ista sentencia displiceret; et patet quam venenosa foret statuicio talis heretica quod omnis utriusque sexus semel in anno ad Pascha scilicet hoc sacramentum accipiat, cum ad annos discrecionis advenerit, sub pena nimis horribili.

2) Thomasius, l. c. (2) I, p. 610. Loofs, l. c. p. 112.

nem esse arctissime cum eo coniunctum esse vel id memoria tenere, carnem eius pro nobis esse crucifixam. Neque minus constat Wiclifium docuisse, sacram scripturam ut carnem Filii hominis manducemus nobis commendantem nihil aliud velle nisi ut fide formata in caput Jesum Christum credamus[1] atque *fidelibus satis esse Christum secundum virtutes theologicas devote recolere, licet nunquam viderint basilicam vel sacramenta tunc instituta receperint.*[2]

Ex quo intelligitur utrumque (cf. p. 39) Wiclifium censuisse. Primum membra ecclesiae eucharistia vix quidquam novi accipere posse itaque illam ad eorum salutem qui verae ecclesiae i. e. corpori Christi sint addicti supervacaneam videri. Quin etiam Wiclif non dubitat aperte dicere fidem catholicam cuius articuli generales sint, *sine sacramentis sensibilibus* in ecclesia servari posse[3] multosque fideles fuisse qui nec missam audissent nec eucharistiam accepissent. *Quis fuit Baptista fidelior qui nunquam vidit hanc eukaristiam vel comedit?*[4] Et ut non dicam *evangelizacione* multo magis fidem conservari et propagari quam

1) Eccl. p. 4: Sed nemo potest esse membrum corporis Christi, nisi fuerit membrum vivum: ergo nemo potest esse de illo corpore, nisi manducaverit corpus Christi. Quomodo queso potest continuari cum nervis capitis, nisi fide formata in caput crediderit? Quod est ipsum manducare, ut exponit Augustinus omelia XXV^a^. Habet autem iste cibus contrarie ad cibos corporales virtutem assimilandi sibi manducantem secundum quatuor digestiones, de quibus Rom. VIII°, 30, scilicet „predestinacionem, vocacionem, iustificacionem et glorificacionem“. Quamvis enim sic manducans moritur temporaliter, non tamen eternaliter, cum „Christus, resurreccio et vita in finali iudicio vivificat omnia membra sua“, quia leo rugiens suscitat suam ecclesiam.

2) Serm. I, p. 165: Ideo cum lex Dei ex prima institucione sit facilis, licet nunc sit nimis difficultata per satrapas, satis est fidelibus Christum secundum virtutes theologicas devote recolere, licet nunquam viderint basilicam vel sacramenta nunc instituta receperunt.

3) Eccl. p. 457: Ulterius videtur quod sine sacramentis nostris sensibilibus de possibili servatur fides in nostra ecclesia, servata in nobis cum caritate fide catholica. Nam articuli fidei catholice sunt generales et non implicant quod iste sit sacerdos, quod hic sit corpus Christi et sic de aliis nisi de quanto veritas est substrata.

4) Serm. I, p. 165: Veritas quidem est subducto supercilio sacerdotum quod tam fidelis possit esse christianus non audiendo missam vel accipiendo eukaristiam, sicut se ipsum per signa talia preparando. Quis (inquam) fuit Baptista fidelior qui nunquam vidit hanc eukaristiam vel comedit?

sacramentis, *eucaristie aliorumque sacramentorum confeccio a Christo secundarie* tantum *inculcata* est.[1]

Deinde quamquam *contingere potest,* ut *laicus credendo in Christum in celo et credendo generaliter sacramentum universalis ecclesie efficacius et meritorius corpus Christi accipiat quam* is qui *sub actibus sacramentalibus corporalibus corpus Christi accepit,* tamen Wiclif, ne quis prorsus inutilem esse christianis eucharistiam putet, demonstrat ritibus sacramentalibus animos *ad accepcionem et manducacionem corporis Christi secundum animam in fide et caritate* conformari. Quae dispositio etiamsi non necessaria est, tamen multis fidelibus prodest, cum praesertim et *in signis sensibilibus* aliquo modo *christianam religionem stare* negari non possit. Ut enim *omnia sacramenta sensibilia rite ministrata efficaciam salutarem* habent, ita et eucharistia *devotionem pietatem vel virtutes alias ipsam animam immediate pascentes inducit* et ad fidem augendam[2] adiuvat, ut negari non possit magnae utilitati esse fidelibus et ministrantibus et accipientibus eucharistiam.

Alia quattuor sacramenta brevi percurrimus quia nostrae

---

1) Serm. I, p. 110: Nec est eucaristie consecracio vel alicuius sacramenti ministracio dignior quam talis evangelizacio, ut patet tam ex auctoris opere quam effectu; Christus enim evangelizando eucaristie confeccionem et sacramenta alia secundarie inculcavit.

2) Eccl. p. 458 sq.: Sed redeundo notandum est quod non sequitur ex isto quod haberetur quoad sacramentum eukaristie devocio laicorum, quia potest contingere quod efficacius et meritorius accipiat laicus corpus Christi, credendo in ipsum in celo et credendo generaliter sacramentum universalis ecclesie, quam datus laicus vel sacerdos qui sub actibus sacramentalibus corporalibus accipit corpus Christi. Nam ritus talis non proficit nisi de quanto disponit ad accepcionem et manducacionem corporis Christi secundum animam in fide et caritate (de qua manducacione Joh. VI⁰ loquitur Jesus noster). Non enim nego quin necesse sit nos in vita intendere signis sensibilibus in quibus stat modo suo christiana religio, cum debemus credere quod omnia sacramenta sensibilia rite ministrata habent efficaciam salutarem. — Serm. I, p. 165: Sicut eciam frequenter fuit de sancto Paulo et aliis multis fidelibus, cum sit per se notum fidelibus quod hec signa corporalia non prosunt sumentibus nisi de quanto inducunt devocionem, pietatem vel virtutes alias pascentes immediate ipsam animam. — Nec prodest fidelibus nisi de quanto inducit ad cogitacionem et visionem fidei supradictas. — p. 166: Non tamen nego quin devote ac meritorie contingit fidelem ministrare et accipere huiusmodi sacramenta.

quaestioni parvi modo momenti sunt. Nam ut iam supra demonstravimus non funditus sacramentorum ecclesiae papalis notionem sustulit, sed hic vel illic emendans modo maximos atque novissimos errores in lucem protulit. Nam neque confirmationem neque extremam unctionem satis scriptura sacra comprobari censet.[1] Coniugii triplex bonum cum Augustino fidem sacramentum prolem appellat.[2] Tum de sacramento poenitentiae docuit veram poenitentiam *in mente consistere* atque oris confessionem et operis satisfactionem quae partes eius vocabantur accedere modo ad eam complendam. Poenitere enim quicumque animo contritus Domino confiteatur peccata. Atque illam cordis contritionem esse sufficientem ad delendum peccatum magisque oportere dolere amissionem

1) Trial. lib. IV, c. 14. Cf. p. 292: Non enim videtur mihi fundatio sufficiens ex illo Act. VIII. — p. 293: Similiter videtur quod ista confirmatio introducta supra apostolos blasphemat in Deum, quia asserit constanter, quod episcopi dant noviter Spiritum Sanctum vel ejus dationem roborant et confirmant; hoc autem est plus quam dare Spiritum Sanctum. Apostoli vero non audent sic dicere, sed quod oraverunt pro ipsis, ut a Deo acciperent Spiritum Sanctum. — p. 294: Non tamen video, quod generaliter sit hoc sacramentum de necessitate salutis fidelium, nec quod praetendentes se confirmare pueros regulariter hos confirmant, nec quod hoc sacramentum sit specialiter episcopis Caesariis reservatum. — Unde quibusdam videtur, quod ista levis et brevis episcoporum confirmatio cum adjectis ritibus tantum solemnisatis est ideo motione diaboli introducta, ut populus in fide ecclesiae illudatur et episcoporum solemnitas aut necessitas plus credatur. — Trial. lib. IV, c. 25. Cf. p. 333 sq.: Ista videtur nimis levis fundatio sacramenti, cum fidelis posset dicere satis probabiliter, quod iste sanctus apostolus non specificat infirmitatem finalem, sed consolationem faciendam a presbytero, dum aliquis infirmatur; et quia per viam naturae oleum habundans in illis partibus valet ad corporis sanitatem. Ideo talem meminit unctionem, non quod illud oleum agat in animam, sed quia oratio effusa a sacerdote devoto mediat quandoque, ut Deus infirmati animae suffragetur. Si enim ista corporalis unctio foret sacramentum, ut modo fingitur, Christi et ejus apostoli ejus promulgationem et executionem debitam non tacerent. — p. 335: Unde videtur mihi singulos, qui instituunt tales privatos ordines et dant generaliter regulas, ut talia sacramenta universaliter a subditis sint accepta, in Deum blasphemare, specialiter cum Deus vult salvare multos sine acceptione hujusmodi sacramenti. Quae ergo antichristiana praesumptio, praelatum asserere et infundabiliter confirmare, quod nemo salvabitur sine acceptione hujusmodi sacramenti!

2) Trial. lib. IV, c. 20—22. Cf. p. 315: Dicitur communiter ex testimonio Augustini, quod tria sunt bona conjugii in communi, scilicet fides proles et sacramentum.

gratiae quam cuiuscumque commodi temporalis. Cum autem vere contritus peccatum praeteritum iterum non committat, quia si committeret non sincere se illud doluisse demonstraret, dici potest poenitere nihil aliud esse nisi peccata praeterita flere defletaque iterum non committere. Quamquam autem hoc poenitentiae genus maximam adhibeat virtutem, tamen et *expressione vocali* singulariter Deo facta cum Foederis Veteris tum Novi Testamenti patres recte usos esse. Sed *promulgationem secretam private presbytero faciendam* quam *confessionem auricularem* appellent omnino non ad salutem necessariam, sed ab Innocentio III introductam esse neque quidquam christianos usque ad id tempus adiuvisse. Quam nihilominus iis esse admittendam qui sibi illam utilitati fore putent. Neque presbytero modo, sed etiam discretis tam viris quam feminis illam confessionem privatam fieri posse, quoniam non homines sed Deus solus peccata remittat. Quamquam sine dubio generalem et publicam confessionem meliorem esse et scriptura sacra magis comprobari.[1]

Septimum ecclesiae papalis sacramentum, ordo, eo diligentius perquirendum est, quoniam quaerentibus nobis an Wiclif ecclesiam esse institutionem signorum docuerit maximi momenti est. Constat multos de ordine errores a papis introductos a

---

1) Trial. lib IV, c. 23. 24. Cf. p. 326 sq.: Sed poenitentiam intelligo formam, qua contritus dicitur formaliter poenitere, et sic apparet mihi poenitentiam in mente consistere. — Et sic est multiplex poenitentia aggregata, prima est solum in animo et insensibilis, qua contritus Domino confitetur. — Secunda vero est poenitentia aggregata ex illa et expressione vocali singulariter facta Deo, et sic tam patres legis veteris quam patres novi testamenti communiter sunt confessi. – Sed tertia est poenitentia aggregata ex duabus prioribus et promulgatione secreta private facta presbytero. — Mihi autem videtur, ut explanavi diffusius, quod foret ecclesiae utilius, ut de prima poenitentia et secunda ecclesia contentetur; sed licet tertia multis noceat et multa mala utrique parti ingerat, verumtamen facit ecclesiae multa bona. — Sed non credat aliquis, quin sine tali confessione auriculari stat hominem vere conteri et salvari, cum Petrus injunxit generalem poenitentiam, ut patet Act. II., et suffecit; imo aliter omnes mortui a tempore ascensionis Christi usque ad Innocentium tertium forent damnati, quod nefas est credere, cum supponimus, quod sub ista lege papali et ejus servantia plures damnantur quam damnati fuerant sine illa. — p. 331: Et sic vere dicunt doctores, quod poenitere est peccata praeterita plangere et plangenda iterum non committere.

Wiclifio repudiatos esse. Modo enim demonstravimus Wiclifium diligenter docuisse remissionem peccatorum non in iudicio presbyterorum stare, sed fieri a Deo solo qui ore presbyterorum usus peccatorem absolvit vel excommunicat. Accedit quod clericos caelibes esse nusquam a patribus vel apostolis iussos esse docet, quin etiam Petrum aliosque apostolos proprias uxores habuisse. Neque minus reiiciendum esse, cum in prisca ecclesia duo modo ordines sacerdotum et diaconorum suffecerint atque Pauli temporibus presbyter idem fuerit atque episcopus, postea difficilem hierarchiam diversorum ordinum ad ecclesiae salutem necessariam esse papas constituisse.[1] Minime autem ferendum esse clericos potestatibus et divitiis occupari. Quomodo cum Wiclif quae suae aetatis homines Thoma praecipue auctore de ordine docerent examinaverit, non miramur in eam quaestionem, quae sit ordinis ratio et natura, ipsum iam primis suis libris ut in Tractatu de Ecclesia diligentissime inquisivisse. Cum autem papales ipsi inter se disceptarent quid esset ordo, Wiclif de ratione caracteris contendere se velle negavit.

Nihilominus aliis locis urget caractera non esse rem *quae possit per se esse ut serta regis vel aliquod signum impressum* sed *deputacionem ad officium* qua *subiectum taliter se habere* ostendatur. Ut igitur Deus omni ordini et regum et militum suum caractera ad quoddam officium attribuit, sic in ordine recipit clericus *singularem limitacionem supra laicos ad ministerium sacramenti.*[2]

1) Trial. lib. IV, c. 15—19. Cf. p. 296: Sed unum audacter assero, quod in primitiva ecclesia ut tempore Pauli suffecerunt duo ordines clericorum scilicet sacerdos atque diaconus. Secundo dico quod in tempore apostoli fuit idem presbyter atque episcopus; patet I Timoth. III. et ad Titum I. Et idem testatur ille profundus theologus Hieronymus ut patet XCV. dist. cap. „Olim", tunc enim non fuit adinventa distinctio papae et cardinalium, patriarcharum et archiepiscoporum, episcoporum et archidiaconorum, officialium et decanorum cum ceteris officiariis et religionibus privatis, quorum non est numerus neque ordo.

2) Eccl. p. 443 sq.: Sed difficultas est utrum tales presciti habent caracterem ordinis, utrum sint sacerdotes episcopi vel prelati. Quoad primum est dissensio inter multos de quiditate caracteris. Aliqui enim dicunt quod est qualitas de secunda specie qualitatis sicut naturalis potencia. Alii autem dicunt quod non est per se in genere sed per reduccionem, sicut alie veritates consimiles extra genus, ita quod caracter sit deputacio passiva creature racio-

Quamquam id quoque apud eum invenimus, tribus sacramentis scilicet baptismo confirmatione ordine quae iterari non possint *specialiter caractera imprimi.* Baptismi caractere fidelem ab infideli, ordinis caractere clericum a laico separari.[1] Nam sacerdotes non modo ad temporale officium separari, sed

nalis ad serviendum Deo et ecclesie secundum gradum ordinis dignitatis; nec contendo circa quiditatem talis caracteris, cum certus sum quod non sit res ut serta regis vel aliquod signum inpressum quod poterit per se esse. — p. 508: Ego autem loquebar de caractere ut dicit simpliciter deputacionem ad officium, nec credo quod ex scriptura vel racione improbabitur sensus iste. Non enim est caracter talis una res que poterit per se esse, sed subiectum taliter se habere. Sed secundo videtur quod in omni homine, et per consequens in omni ordine caracter imprimitur, et sic reges et milites haberent gloriosum caracterem correspondenter ad suum ordinem. – Trial. p. 296: Sed de quidditate characteris est dissensio apud multos, cum quidam dicunt quod est qualitas et de facto gratia, licet steterit cum mortali. Sed concedat nobis Deus aliam gratiam, cum ista in multis hominibus damnandis et salvandis viantibus nihil valet! Aliis autem videtur quod character sit signum insensibile, quo fidelis ab alio convivente discernitur et ad spirituale officium in ecclesia limitatur; et satis est ad esse talis characteris constantia subjecti et praeteritio officii praeaccepti, quae cum sint perpetua et indelebilia, character manet indelebiliter impressus in anima.

1) Eccl. p. 508: In tribus tamen sacramentis specialiter caracter imprimitur, scilicet baptismo, confirmacione et ordine, que tria sacramenta sunt initerabilia ut officia caracterum indelebilia quoad effectum vel fructum. Nam in baptismo recipit servus Christi distinccionem ab omnino infidelibus, in confirmacione roboracionem sue milicie, in ordine vero recipit singularem limitacionem supra laicos ad ministerium sacramenti. — p. 509 sq.: In isto videtur mihi primo notandum quod ordo sumi potest tripliciter satis equivoce. Primo analogice pro gradu in quo Deus ordinat quicquam constitui ad pulchritudinem universi, et sic quelibet res habet suum ordinem. — Secundo modo accipitur ordo pro gradu a Deo limitato clerico ad differenter a laycis sacramentaliter ministrandum, et sic sunt septem ordines scilicet hostiarius, ceroferius, lector, exorcista, subdyaconus, dyaconus et sacerdos. — Sed tercio modo sumitur ordo pro sacramento sensibili quod est ordinancia episcopi ad sacrum officium supra laycos in ecclesia ministrandi et si res abscondita huius sensibilis sacramenti est ordo vel caracter insensibiliter subiectatus in anima, et ordo est opus sensibile ab episcopo celebratum quod in verborum sacramentalium prolacione, in ritus, tactus aut unccionis ministracione et in circumcisione extrinsece, ut loci, temporis, persone ordinande et superiorum licencie attencione. — Trial. p. 296: Baptismi enim charactere fidelis ab infideli distinguitur, ac si ad Christi militiam sit signatus; et charactere ordinis clericus separatur a laico, ac si ex ordinatione Christi ad officium singulare supra laicum in ecclesia sit signatus. — Cf. August. c. epist. Parmen. II, c. 13 (Migne 43, 70).

ordini addici, ut caractera indelebilem ad salutem accipiant. Quem ut acciperent, nullius momenti esse utrum sacerdos ab ipso episcopo an certis ritibus sit ordinatus sed ut alia sacramenta ita ordinem quoque sola *ex suscipientis indisposicione* fieri *equivocum.*[1] Ex quo sequitur, ut praesciti, quamquam possunt esse sacerdotes habentes pro suo officio potestatem, tamen numquam habeant caractera indelebilem, qui solis praedestinatis contingit.[2] Falso igitur Buddensieg censet omnem ordinatum caractere indelebili carere.[3] Contra cum ordo sit *deputatio ad* tale *officium dignitatis* quod in praedestinatis diem iudicii superat, ob eam rem caracter ordinis praedestinatorum indelebilis est. Praescitus autem cuius officium ecclesiasticum die iudicii finitur caractere indelebili caret. Quamobrem caracter ordinis eodem modo sese habet atque caracter baptismalis vel gratia baptismo infusa. Electione

1) Eccl. p. 511: Et ideo necesse est peccatorem ordinandum conteri de peccatis. Deus enim dans potestatem ad minstrandum dat eciam graciam ad officium exequendum nisi indisposicio ordinati prepediat. Unde in baptismo et quocunque alio sacramento subducta assistencia Christi dantis graciam, que sit res sacramenti, fit ex indisposicione suscipientis sacramentum equivoce. Verumptamen Deus post sacracionem episcopi sepe facit ordinem reminiscere, ipse enim dat regulariter rem sacramenti, et sic facit sepe ordines nobis incognite.

2) Eccl. p. 442: Non ergo habet talis (i. e. praescitus) caracterem indelebilem, ut sit de exercitu christiano. Hic videtur mihi indubie quod nullus prescitus est pars vel gerens officium tamquam de sancta matre ecclesia; habet tamen intra illam ecclesiam ad sui dampnacionem et ecclesie utilitatem certa officia ministrandi, ut patet de Scarioth et multis eius vicariis, et ad tantum Deus eligit tales dans eis ad tale officium potestatem. — p. 444: Tenendo ergo secundam viam de quiditate caracteris dico ulterius quod alius est necessario delebilis, ut caracter ecclesiasticus in prescitis, eo quod non ultra diem iudicii durabit in eis officium dignitatis. In predestinatis autem oportet esse caracterem omnino indelebilem, cum dignitas sequendi agnum mutuo illuminandi conbeatum et percipiendi fructum vivificum non posset deleri in eis, et de tanto habent caracterem ordinis vel caracterem baptismalem. Et patet quod predestinati et presciti secundum diversitatem officii equivoce habent caracterem. Et correspondenter dicitur quod equivoce habent ordinem, episcopatum vel aliam ecclesiasticam prelaciam, quia presciti ascribuntur ad tale officium solummodo temporale, non ut mereantur beatitudinem, sed ut mitigando penam per accidens prosint ecclesie.

3) Buddensieg, l. c. p. 200.

quae summum discrimen habet omnes separantur[1]: electi sacerdotes officium aeternum accipientes ad beatitudinem ordinantur, alii officio modo temporali functi ordinem accipiunt ecclesiae in utilitatem ad suam poenam mitigandam vel ad suam damnationem.

Quod autem ob eam rem homines cognoscere non possunt quis ex eis qui sacerdotes habentur praedestinatus et vere in aeternum ordinatus sit, et ne tota ecclesia perturbetur et perplexa sit, necesse est omnes rite ordinatos a nobis pro ministris ecclesiae haberi et honorari. Quo modo saepe illusio salutaris exoritur, ut is pro sacerdote habeatur qui revera ad ordinem indelebilem non aptus sit vel ut aliquis a Deo nobis insciis ordinatus sit. Atque tum modo certo dicere possemus verene aliquis ordinatus sit, si ex eius bonis operibus cognoscere possemus eum esse praedestinatum.

Ex quo maxime intelligitur quam non apta fuerit illa de praedestinatione doctrina qua notio ecclesiae medio aevo vulgata emendaretur. Nam ne id quidem ea potuit effici, ut ordinis notio ita commutaretur, ut membra indigna ex eo possent excludi. Potius cum praedestinationis notionem tum mores respici a Wiclifio invenimus, cum doceat eundem esse electum et bonum praescitum et malum. Itaque nihil aliud nisi quod Augustinus dicit[2] eos sacerdotes qui caritate carentes extra veram ecclesiam sint, quamquam ius ordinandi obtineant, tamen ad perniciem suam eo uti, dicere Wiclif potest de sacerdotibus non praedestinatis.

Quamquam igitur Wiclif multa quae de sacerdotum ordine ecclesia papalis instituerat atque docuerat reprehendit, tamen de summa re cum papalibus ita consentit, ut notionem ordinis congregationi baptizatorum prorsus necessariam concedat. Nam sacramenta ministrare Christi legem praedicare nemini commendatur nisi sacerdotibus rite ordinatis. Cum autem sacramentis ut mediis usitatis fides infundatur, sacerdotibus qui illa soli administrant summa potestas conceditur. Quin etiam

---

1) Cf. Eccl. p. 445: Quandoque vero accipitur caracter pro aggregato ex predestinacione et limitacione per signum sacramentale, et sic secundum limitacionem signi caracteris est varie respondendum.

2) August. c. epist. Parmen. II, c. 13 (Migne 43, 71).

infra videbimus neminem fere nisi sacerdotes recte secundum legem Christi pauperes vivere posse ut, quamquam Wiclif saepissime urget ecclesiam et clerum non idem esse, sed et clericos extra veram ecclesiam esse posse et ecclesiam ex clericis et laicis constare, tamen tota fere ecclesia ex sacerdotibus solis constare videatur. Tantum igitur discrimen inter clericos et laicos esse et a Wiclifio doceri invenimus atque cum Buddensiegio nos non consentire infra demonstrabimus qui cum admoneat omnem praedestinatum laicum a Wiclifio pluris aestimari clerico non electo, illud discrimen ab ipso non doceri falso colligit.[1]

Vidimus igitur a Wiclifio saepissime et certissime dictum esse ecclesiam constare ex numero praedestinatorum Deo soli cognito quam quod nemo videre possit omnes credere debeant. Praeterea vidimus multas externas res a Wiclifio reiectas esse, multos de sacramentis errores a papis introductos esse vituperatos, caelibatum diversos gradus iura quae papae et clerici sibi vindicent quibus omnibus sacra scriptura contradicit in controversiam vocata esse. Putaverit quispiam Wiclifium ecclesiae notionem cogitatione definitam modo adhibuisse in qua fides christianorum exerceri possit. Tamen nobis persuasimus nequaquam Wiclifium eo contentum fuisse, ut talem ecclesiae notionem cogitatione conformatam demonstraret, sed etiam visibilibus externisque institutis nempe sacramentis et ordine ecclesiae opus esse censuisse, ne quis dubitaret quin ecclesia non modo sit ille numerus praedestinatorum sed etiam congregatio eorum quibus fides infusa sit i. e. congregatio baptizatorum vel fidelium (p. 30. 41). Neque ignoramus quid huic alteri Wiclifii sententiae subsit. Nam cum doceat salutem constare ex *visione* vel *fruitione Dei* quae praedestinatis modo in futuro contingat[2] neque vero quisquam sciat an ipse sit electus et olim ad visionem vel fruitionem Dei perventurus, quisquis pius contendat, ut salutem apud Deum accipiat, eo diligentius sacramentis eum uti oportere, praesertim cum con-

---

1) **Buddensieg**, l. c. p. 207.

2) Trial. p. 134: Unde secundum apostolum caritas manet tam in via quam patria, cum „nunquam excidit", sed loco fidei habent beati claram visionem, et loco spei perpetuam fruitionem.

stet sacramenta maxime a Deo adhiberi ut electos vocet. Itaque cum ad salutem communicandam in ecclesia saramenta necessaria sint et ordo clericorum qui sacramenta administrat in ecclesia desiderari non possit, tantum abest, ut Wiclif totum ordinem reiiciat, ut peccata clericorum atque ad ordinem spectantes errores emendare studeat. Quam ad emendationem praecipue notionem praedestinationis adhibere et premere Wiclifium infra videbimus.

Atque quod saepissime a Wiclifio notio fidei urgetur, non in eum errorem nos inducat, ut putemus ecclesiam esse cogitatione modo fictam vel esse congregationem hominum qui cum in Christum credant, omni alia nota vel omnibus aliis externis signis carere possint. Neque enim umquam Wiclif hanc notionis fidei vim potestatemque cognovit, sed de fide agens nihil aliud studet nisi fidem caritate formatam vel caritatem ipsam. Ut caritas ab omnibus fidelibus adhibeatur, hoc alterum Wiclif doctrinam de praedestinatione perpetuo tractando assequitur.

Quamobrem intelleximus *primum* ita a Wiclifio definiri ecclesiam, ut sit *numerus praedestinatorum*; quo modo illam esse articulum fidei. *Deinde* invenimus Wiclifium signa quoque necessaria putantem cum Augustino maximeque Thoma consensisse, ecclesiam esse *congregationem fidelium* i. e. *baptizatorum*. Nunc videamus, cur non illis duabus definitionibus contentus et quid studens Wiclif et mores clericorum emendare[1] conatus sit et omnes christianos caritatem sequi iusserit.

---

1) Trial. p. 417: Si igitur istae duae extremitates ecclesiae malignantium, papa et fratres, fuerint emendatae, tunc foret facilius medios errores corrigere, *et statum ecclesiae ad ordinationem Christi pure secundum legem suam reducere*, quod *attendere desidero.*

IV.

Quantum legem Dei ad bene vivendum valere Wiclif putaverit.

Vidimus Wiclifium fidem commendantem id studuisse, ut fides caritate formata vel caritas ipsa ab iis qui membra ecclesiae esse vellent praecipue adhiberetur. Quid autem haec caritas velit inveniemus, cum in notionem legis caritatis vel legis Dei a Wiclifio saepissime adhibitam inquisiverimus.

Atque primum haec est eius doctrina. Legem Dei quae nihil aliud sit nisi scriptura sacra[1] illo nomine ob id appellari,[2] quod a Deo data eiusque *testamentum infringibile* sit nec a Deo separari possit. Deinde etiam ex Christo illa lex nominatur quae ipso ut auctore proximo utatur.[3] Quomodo autem ille auctor omnino superior est praestantia quam alii homines, ita et liber eius prorsus praestantior omnibus aliis.[4] Neque

---

1) De fundatione sectarum c. 1 (Pol. Works I, p. 14): Assumunt secundo, quod scriptura sacra, que est lex domini Jesu Cristi, et fides catholica est infringibiliter vera secundum quamlibet sui partem. — Trial. c. 31 (p. 238 sqq.): Christi lex, i. e. scriptura sacra, reliquas leges infinitum excedit. — Serm. IV, p. 234: Iterum, cum dicta lex sit sermo vel verbum Dei quod est scriptura sacra, patet quod nemo potest placere Deo sine eius observancia. — Buddensieg, l. c. p. 196 n. 7: Scriptura sacra est lex dei immaculata, verissima, completissima et saluberrima, quam omnes homines tenentur cognoscere, defendere et servare.

2) Lex Dei (Eccl. p. 47. 62. 90 cet.), mandata Dei (Serm. IV, p. 234), testamentum infringibile Dei patris (De verit. script. s. c. 9. cf. Lechler, l. c. I, p. 472 n. 2), testimonium Dei (ibid. c. 14. cf. ibid.).

3) Lex Christi (Eccl. p. 37. 465. Serm. II, p 263 cet.), lex Domini (Eccl. p. 252), lex Sponsi (Eccl. p. 269), mandatum Christi (Serm. II, p. 263), testamentum et testimonia Christi (Eccl. p. 6), doctrina Christi (Eccl. p. 101), regula Christi (Serm. II, p. 263).

4) Trial. p. 239: Et tunc videtur mihi, sicut conclusio tua tertia sententiat, quod scriptura sacra sit infinitum magis autentica et credenda, quam quaecunque alia assignanda, quia ut auctor proximus ad auctorem, sic liber ad librum; sed ex fide Christus, auctor proximus scripturae sacrae, est infinitum praestantior quam homo alius, ergo liber suus vel scriptura, quae est lex sua, proportionabiliter se habet ad quamcunque aliam assignandam. Unde scripta aliorum doctorum magnorum, quantumcunque vera, dicuntur apocrypha nec sunt credenda, nisi de quanto in scriptura Domini sunt fundata. —

modo conscripsit illam legem Christus sed constituit, ut fundamentum nostrae vitae et nostrorum morum fieret.[1] Quin etiam Christus ipse est illa lex illud verbum ille liber vitae.[2] Quamobrem qui verbum spernit Christum spernit. Quo semper admonemur, ut quam fidelissime illam observemus.

Sed non modo propter auctorem lex Christi nobis summi momenti est, sed etiam propter multas alias causas. Nam cum omnia ea contineat quae nobis ad salutem necessaria sunt, *in illa consistere salutem fidelium* docet.[3] Quamobrem qui illi non oboedit neque *salvari* neque *prosperari* neque *Deo placere* potest.[4] Cum autem omnibus ad adipiscendam salutem

Serm. IV, p. 154: Cum ergo ille (i. e. Christus) sit infinitum potencior, sciencior et benevolencior quam patronus alius, patet quod in comparacione ad regulam Christi non est nisi fallacia in privilegiis vel regulis humanitus adinventis. — p. 234: Ideo cum lex se habet ad legem ut legifer ad legiferum, patet quod lex Christi est infinitum melior quam aliqua lex humana.

1) Eccl. p. 18: Insuper si respicimus ad sensum et motum quos in subditos influimus et ex alio latere ad speculum scripture iuxta quam totam vitam nostram regularemus, eligeremus pocius vocari servi et ministri ecclesie quam capita, cum notum sit, si non facimus officium capitatis, non sumus capita. — Serm. IV, p. 154: Circa istud canticum dubitatur utrum religio ecclesie pro statu viandi in scripture regula sit expressa. Nec dubium quin sic, quia sponsus eius Christus hanc regulam sibi tradidit ad perpetue observandum. — p. 233 sq.: Et oportuit Christum hoc facere, cum constat quod nec imperium nec regnum nec civitas nec quevis communitas potest legitime conversari sine lege regulante; et hinc imperator condidit legem civilem, rex legem terre sue, civitas legem suam et breviter quelibet communitas cleri vel populi militat sub lege. Ex quibus sequitur quod Deus cuius imperio subiacet totus mundus, cuius regnum est ecclesia sponsa sua, cuius civitas est pusillus grex clericorum, dedit subditis istis legem nature, legem evangelii et legem consilii. Aliter enim culpabiliter deficeret eis in necessariis, quod esse non potest; ideo dicit Christus Matthei V°, 17 quod „non venit legem solvere sed adimplere“.

2) De veritate scripturae s. c. 21 (Lechler, l. c. I, p. 473 n. 4): Ignorare scripturas est ignorare Christum, cum Christus sit scriptura, quam debemus cognoscere. — Trial. p. 238: Primo enim scriptura sacra signat Jesum Christum librum vitae, in quo omnis veritas est inscripta, juxta illud Johannis X.: „non potest solvi scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in mundum“.

3) De blasphemia c. 1. De veritate scripturae s. c. 1 (cf. Lechler, l. c. I, p. 473 n. 5).

4) Serm. IV, p. 234: Est autem lex maxime necessaria, maxime formidabilis et maxime premiabilis. Est (inquam) maxime necessaria, quia propter

necessaria sit, ita ordinata et conscripta est, ut *nullas particulares cerimonias exprimens* ab omnibus revera observari possit.[1]

Eam autem legem quae omnibus ad salutem necessaria et tam perfecta est, ut ab omnibus observetur, eandem toti ecclesiae maximae utilitati esse constat. Nam per solam observantiam legis Christi traditione humana non admixta *crevit ecclesia celerime*, et per solam observantiam legis Christi ecclesia ab iniuriis defenditur neque umquam bono et salutari consilio caret.[2] Fideles autem omnia bona exspectare possunt,

elonganciam sue bonitatis impossibile est hominem salvari vel merendo prosperari sine eius observancia. — Iterum, cum dicta lex sit sermo vel verbum Dei quod est scriptura sacra, patet quod nemo potest placere Deo sine eius observancia. — Iterum, cum nemo potest quicquam acquirere vel iuste aliquid possidere, nisi ex beneplacito et dacione approbativa Domini, et iterum impossibile est Deum esse beneplacitum homini nisi servaverit legem suam, manifeste sequitur quod nemo potest vere prosperari, ditari vel pacificari in via, nisi servaverit legem Dei; ideo vere dicitur quod est maxime necessaria.

1) De civ. dom. II, c. 13 (Lechler, l. c. I, p. 474 n. 1): Nullas particulares cerimonias exprimit, quibus eis universalis observantia vetaretur. Ideo regula ac religio christiana secundum formam in evangelio traditam est omnium perfectissima et sola per se bona.

2) De civ. dom. I, p. 431: Et quero utrum ecclesia perfecte regatur, vel deficiat a vero regimine: si perfecte, tunc ordinare ipsam tradicionibus humanis foret superfluum; si inperfecte, tunc lex Christi est insufficiens. Et si dicatur quod sine adminiculo tradicionis humane non sufficit lex Christi servari vel verbum ewangelii currere, patet iterum inperfeccio legis Christi, cum precipue necessarium ad eius observanciam sit ommissum. Et iterum ista responsio contradicit tam effectui quam racioni: effectui, quia pure per observanciam legis Christi sine conmixtione tradicionis humane crevit ecclesia celerime, et post conmixtionem fuit continue diminuta; concordatque racio, cum tradiciones humane provocant secularia desideria, que sunt legi Christi contraria. Ex istis evidet quod defectus regiminis ecclesie stat in defectu execucionis legis amoris, que est lex Christi. — Serm. IV, p. 331: Unde ecclesia servante hanc scolam generaliter sopirentur iniurie, cum lex Christi cum sua gracia sit pro complemento iusticie prestancior lege cesarea. Si ergo nos executores legis Dei faceremus plene nostrum debitum, indubie fieret a Deo copiosius iusticia, innitendo pure legi Dei dimissis humanis legibus. Unde infidelis consideracio est quod periret ecclesia nisi preter legem Dei humanis legibus regularetur. In hoc enim peccatur infideliter dimittendo execucionem legis Dei et inducendo tradiciones humanas fomenta licium. — p. 453: Unde quia ista lex per se sufficeret ad regimen universalis ecclesie militantis, cum docet efficacissime punire quodcunque malum ecclesie et per consequens a malo universaliter declinare,

si legem Christi persequuntur. Nam cum omnia quae ecclesia promisit largissime accipiunt tum viventes secundum legem Dei pro membris ecclesiae ipsius manifestantur.[1]

Cum autem legi Dei ille finis sit, non dubitandum est quin ea in aeternum maneat neque ullus adversarius ei *efficaciter resistere* vel *contradicere* possit. Quin etiam nec mutari nec maculari potest, cum sit infallibilis et verissima habens *logicam rectissimam* et *subtilissimam* quae a fidelibus veneranda et *maxime usitanda* est.[2]

---

ideo professores scripture et specialiter episcopi vel prelati debent istam legem sollempnizare et sollempnizantes defendere et fovere. — Buddensieg, l. c. p. 197 n. 5: Omnis veritas est saltem implicite in scriptura, et per consequens sicut ibi omnis veritas catholica est inclusa, sic ibi omnis heresis est dampnata.

1) Eccl. p. 90: Illos autem quos videmus vivere secundum legem Dei reputamus esse filios regni, et sic de aliis habemus maiorem evidenciam, de aliis minorem. — Serm. IV, p. 237 sq.: Tercio dixi quod lex Domini est maxime premiabilis eo quod secundum Apostolum Rom. VIII, 18: „Non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam que datur" pro momentanea passione. Quid enim plus premiaret quam lex que pro infinitum modico, ymmo pro volicione momentanea donat eternum (perperam: eternam) premium? iusticia autem distributiva terrena vix confert militi quantumcunque strenuo villam vel patriam talem. Lex autem Dei distribuit pro levi milicia terram eternam vivencium.

2) De civ. dom. I, p. 248: Licet itaque lex humana est mixta multa nequicia, ut patet de usurariis, sortis concionatoribus, et regulis civilibus, ex quibus pululant multa mala; lex autem ewangelica est immaculata, ideo debet clerus pure secundum ipsam vivere, cum maxime accedit ad legem innocencie, neminem reddit perplexum, nec sinit cultores suos perfectos ire in interitum. — p. 378: In Scriptura vero sacra, que est unicus liber vite non est error possibilis, licet in nostris codicibus incorrectis, sinistre conceptis, et aliter defectivis, sint errores plurimi. — III, c. 26 (Lechler, l. c. I, p. 474 n. 4): Aliae logicae et sapientiae evanescunt, sed os et sapientia, quam dedit apostolis in die pentecostes manet in aeternum, cui non potuerunt efficaciter resistere et contradicere omnes adversarii. — Serm. IV, p. 237: Adversarius peccatoris secundum Augustinum est lex Dei immobilis que cum flecti vel maculari non poterit eo ipso adversatur homini quo peccat, eo quod precepit non peccare et peccator presumit contrarium. — De fundatione sectarum c. 1 (Pol. Works I, p. 14): Assumunt secundo, quod scriptura sacra, que est lex domini Jesu Cristi, et fides catholica est infringibiliter vera secundum quamlibet sui partem. — Trial. p. 65: Et sic credens fidei scripturae cum verbis suis debet dictam logicam acceptare, quia sicut sacrae scripturae sententia, sic et ejus logica est a fidelibus veneranda. Unde peccant morta-

Quibus de causis facile intelligitur scripturam sacram et generatim a tota ecclesia et singillatim ab omnibus christianis pro summa et gravissima lege, pro medulla omnium ecclesiae legum, pro Magna Charta ecclesiae haberi.[1] Neque ulli alii legi tanta vis et auctoritas debetur, sed prae illa omnia privilegia vel consilia vana videntur.[2] Neque modo ecclesiae sed omnibus reipublicae partibus sacra scriptura maximi momenti est. Nam omnes leges civiles vel libri humani ad legis Dei normam revocanda sunt neque ulla privilegia cogitari possunt nisi quae comprobantur sacra scriptura.[3]

---

liter, qui dimissa logica scripturae, innituntur adinventionibus frivolis hodie usitatis, cum Deus plus obligat homines ad formam verborum fidei scripturae, quam creatura aliqua posset ad suas inventiones vel consuetudines obligare. — p. 241 sq.: Nihil ergo ad scripturam sacram, quod haereticus ipsam sinistre intelligit; non enim subjacet suo judicio, sed potius ipsum damnat; error autem de intellectu illius stat potissime in superba et stulta praesumptione de propria logica, cum logica scripturae sit rectissima subtilissima et maxime usitanda. Illa enim trahit sibi regulas cujuscunque artis liberalis ut domina, et non debet adinventis regulis humanitus subjacere.

1) Eccl. p. 173: Ex istis elicitur quod nullum est verum privilegium ecclesie, nisi de quanto fundatur, docetur vel elicitur ex scriptura. Patet sic: Omnis lex utilis sancte matri ecclesie docetur explicite vel implicite in scriptura, omne privilegium est huiusmodi ex dictis: ergo conclusio. Confirmatur ex sepe dictis: Omnis veritas est in scriptura sacra, omne privilegium est veritas quia lex, ergo conclusio. — p. 257 sq.: Ideo sepe dedi clericis nostris consilium quod honorarent scripturam sacram, tam verbo quam opere, quia sine conservacione huius carte impossibile est quod maneat dignitas ad privilegium vel aliquod bonum gratuitum capiendum. — De veritate scripturae s. c. 12 (Lechler, l. c. I, p. 475 n. 4. p. 476 n. 1): Carta a Deo scripta et nobis donata, per quam vindicabimus regnum Dei. — Lex Christi est medulla legum ecclesiae.

2) De civ. dom. I, p. 409: Sola autem Scriptura sacra est illius auctoritatis et reverencie quod si quidquam asserit, debet credi: ideo, cum multa asserit sine quibus homo posset salvari, patet quod multa debent credi, quia Scriptura hec asserit; licet non sint absolute necessario requisita ad salutem. — De veritate scripturae s. c. 15 (Lechler, l. c. I, p. 477 n. 1): Impossibile est, ut dictum christiani vel factum aliquod sit paris auctoritatis cum scriptura sacra.

3) De civ. dom. I, p. 139: Ex istis patet quod totum corpus iuris humani debet inniti legi ewangelice tamquam regule essencialiter directive. — Ex quo patet quod theologus, qui et legista ewangelicus, debet omnem legem humanam et eius execucionem principaliter regulare, tum quia debet esse in caritate et per consequens habere in omnibus temporalibus interesse, tum

Quae cum ita sint, luce clarius videtur eum qui legem Christi spernat haereticum et membrum diaboli esse censendum quin etiam *pertinacem finaliter tam corpore quam anima perpetuo condempnari.*[1] Quamobrem si quid legi Dei repugnat, praetermittendum est, quin etiam sacerdotibus modo oboediendum est *salva obediencia legi Christi.* Neque ulla alia lex cum lege Dei comparari debet, ne hac infidelitate in magnam perplexionem ecclesia involvatur.[2] Qua de causa scriptura sacra omnibus nuntiari et ab omnibus audiri debet. Et pro haereticis sunt ii habendi qui *fingunt seculares non debere cognoscere legem dei sed sufficere eis noticiam* eorum *quae praelati et sacerdotes eis dixerint.* Immo vero ecclesia florere non potest, nisi evangelium per omnes locos diligentissime divulgatur.[3] Et eo contineri totum ecclesiae suae aetatis malum

---

eciam quia debet practicam sue sciencie exercere. — p. 255: Quantum ad tercium patet solucio: nam elemosina, obligacio, empcio, vel quevis alia commutacio, de tanto est iusta et stabilis, de quanto legi ewangelice est conformis; et de tanto iniqua et invalida, de quanto ab illa exorbitat.

1) De quattuor sectis novellis c. 7 (Pol. Works I, p. 265): Quicunque fuerit pertinaciter fidei scripture contrarius, est hereticus, et sic omnis prescitus et specialiter adversans in vita fidei scripture. — Serm. IV, p. 237 sq.: Secundo dixi quod lex Dei est maxime formidabilis, nam forisfacientes contra leges humanas vel amerciantur vel incarcerantur vel proscribuntur vel ad ultimum occiduntur. In lege autem Dei est foris factura gravior, cum offendens in eam de bonis gracie spoliatur, et pertinax finaliter tam corpore quam anima perpetuo condempnatur. — Aliter enim lex accussabit obstinatum in die iudicii, quomodo precipit sibi eius observanciam quam reliquit, et sic Christus iudex tradet eum ministro mittendum in ignem eternum qui preparatus est diabolo et angelis eius.

2) Eccl. p. 465; Obediendum est tamen tali pretenso preposito salva semper obediencia legi Christi; et in ista cecitate tantum turbatur ecclesia quod quidam plus credunt signis mortis factis in vestigio mortuorum defunctorum quam operibus vivacibus superstitum quantumcunque conformiter legi Christi vivencium. — Serm. IV, p. 331: In hoc enim peccatur infideliter dimittendo execucionem legis Dei et inducendo tradiciones humanas fomenta licium. — De civ. dom. I, c. 44 (p. 394 sqq.). — Cf. Lechler, l. c. I, p. 477 n. 1. 2. 4.

3) Dial. p. 5 sq.: Unde ignorancia legis Christi et partis ecclesie que hic vivit facit communiter membra diaboli et eciam filios ecclesie contra ipsam culpabiliter rebellare. — Buddensieg, l. c. p. 197 n. 6: Nec sunt audiendi heretici, qui fingunt, quod seculares non debent cognoscere legem dei, sed sufficit eis noticia quam sacerdotes et prelati eis dixerunt.

Wiclif docet, quod superiores magis id postulent, ut *suis approbacionibus et reprobacionibus* quam ut sacrae scripturae credatur, et quod diligentius operam dent suis *tradicionibus complendis* quam legi Dei praedicandae et observandae.[1]

Ex iis quae modo demonstravimus satis cognosci potest Wiclifium sacram scripturam commendantem non id spectasse, ut ea fideles suae salutis et suae fidei fiducia confirmarentur sed id, ut haberent pro codice legum totam vitam ordinantium vel regnantium. Non recte igitur dicitur[2] Wiclifium de sacra scriptura agentem etiam cum Luthero consensisse, cum non evangelium sed lex in scriptura a Wiclifio quaeratur.

Priusquam autem de illa quae scriptura continetur lege agimus quid sit et quo modo illam adhibendam esse Wiclif voluerit, id brevi concedimus scripturae sacrae Wiclifium multo plus tribuisse quam ceteros theologos medii aevi Romanos. Nam a salvando sacram scripturam non modo cognoscendam sed etiam quae in illa cum iussa tum commendata essent diligenter observanda esse vidimus.[3]

Eadem igitur salus quae primum invisibilibus electis (cap. II) tum visibilibus rite baptizatis (cap. III) promissa erat nunc *viventibus secundum legem Dei* promittitur. Ex quo concludere licet Wiclifium non eo se continuisse, ut diceret ecclesiam nihil aliud esse nisi numerum praedestinatorum quem cognoscere nemo posset neque voluisse illam pro institutione signis tantum cognoscenda haberi, sed id egisse, ut doceret

---

1) Eccl. p. 46: Est et aliud malum ecclesie, quod superiores nostri plus exigunt ut credatur suis approbacionibus et reprobacionibus in cunctis suis iudiciis, quam exigunt ut credatur fides sacre scripture que est fides catholica, et plus persequuntur pro complecione suarum tradicionum, puniendo contravenientes asperius, quam faciunt contra blasphemantes in precipuam fidem Christi. — Serm. I, p. 248: Omnis enim fidelis et curatus precipue debet predicare non tragedias sive comedias, non fabulas sive ludicria sed pure legem Domini, ut fecerunt Christus et sui apostoli, quia in ipsa lege latet vita per quam vivificaretur ecclesia.

2) Lechler, l. c. I, p. 478. Buddensieg, l. c. p. 197.

3) Serm. II, p. 399: Sed qui fecerit consummate ista mandata sive consilia, hic magnus vocabitur in regno celorum, quia magnus iudicatur a Deo esse in ecclesia militante et magnus iudicabitur esse in ecclesia triumphante. Ipse enim est tam in ecclesia quam de ecclesia.

ecclesiae membra virtutibus cognosci et ecclesiam idem esse atque congregationem eorum qui legi Dei oboedirent.

Venimus nunc ad ea quae in lege Dei inesse Wiclif censuit, atque scriptum videmus non modo legem Mosaicam praecipue ad emendandos mores spectasse[1], sed Christi etiam lege nihil aliud contineri nisi caritatem atque in hoc unico verbo dilectionis totius legis observationem esse eum docuisse.[2]

Caritas enim non modo in aeternum membra inter se coniungit et coniuncta *ad domum Dei compaginat*, sed etiam causa est omnium illarum praestantiarum et virtutum quibus fidelis filium Dei et membrum ecclesiae se praebet; nam ex caritate illo *fini mandatorum* effluunt omnia bona opera.[3] Nam qui sese servari vult non eo contentus esse debet, ut audiat verbum Christi, id quod et bestiae faciunt, sed verbum auditum memoria debet tenere operibusque diligenter servare, quoniam

1) Serm. II, p. 397: Lex quidem Mosaica quoad moralitatem suam per Dominum declaratur et quoad sua legalia ac iudicialia figuris cessantibus moraliter explanatur.

2) Eccl. p. 10: Que (i. e. archa) ad sensum misticum figurat sanctam matrem ecclesiam que in brachio domini conservatur et unico fine mandatorum que est caritas consummatur. — Serm. I, p. 207: Cum ergo qui diligit Christum diligit eius humanitatem ac divinitatem et per consequens Deum et proximum, patet quod in hoc unico verbo dileccionis est tocius legis implecio; et patet quam verum est verbum apostoli ad Rom. XIII⁰, 10: „Plenitudo legis est dileccio.“ Cf. p. 331. — II, p. 219.: Premittit Christus specialiter suis apostolis et in eis cunctis christicolis ut diligant se mutuo, cum sint membra eiusdem corporis. Cum enim secundum Apostolum, „plenitudo legis est dileccio“, non posset plenius, compendiosius vel efficacius ostendi legis Dei observacio quam apostolos et viros evangelicos sic invicem diligendo. Cf. IV, p. 409.

3) Eccl. p. 5 sq.: Unde Augustinus super psalmum CXXXI^{um} postquam ostenderat quod nullum preterquam domum suam exaudit Deus ad vitam eternam: „Ille“ inquit, „ad domum Dei pertinet qui est in caritate compaginatus lapidibus vivis; qui autem caritatem non habuerit, finalis perseverancie ruinam facit, sed domus stat“. — p. 10 sq.: Correspondenter oportet esse unicam Christi ecclesiam infringibilibus vinculis caritatis contextam iuxta illud apostoli Rom. VIII⁰, 35 „Quis nos separabit a caritate dei? — Serm. I, p. 256: Et cum omnia opera que fuerint extra caritatem sint demeritoria, patet quod homo debet satisfacere, antequam procedat ad opus quantumcunque bonum de genere.

Deus non modo *verborum folia,* sed imprimis *fructum bonorum operum* meritorumque apud suos videre cupit.[1]

Quamobrem *omnem salvandum* illam turrim sibi construere de qua Dominus apud Lucam (c. XIV) narrat necesse est, quoniam illa *turri virtutum* regnum coelorum ascenditur atque acquiritur. Nam supra *humilitatem* ut *fundamentum* firmissimum in Christo positum, ne Novi Foederis aedificatores idem paterentur quod superbi homines Babylonici, *gradus et regulae caritatis* exsurgunt ex quibus verum aedificium constat, quae ad ascendendum regnum coelorum sufficiunt. Atque *sumptus* tolerat ex bonis *operibus ad virtutem necessariis* quibus is solus caret qui naturales suas potentias stulte dissipavit vel in ministerio diaboli profudit. Quam similitudinem[2] ne nunc accuratius tractemus vel examinemus, id modo urgemus humilitatem caritatem bona opera salvandis necessaria esse imprimis autem caritatem. Et ne ignoremus quid notio bonorum operum sibi velit, alio loco Wiclif nobis demonstrat doctrinam Christi ex humi-

---

1) Eccl. p. 65: Unde sicut in diluvio columba egressa de archa reversa est, deferens ramum virentis olive, corvo pretextu affectus cadaveris extincto diluvio, sic in sancta matre ecclesia hii exeunt ad tempus et penitencia ducti redeunt, non solum cum verborum foliis, sed fructu bonorum operum, et omnino cum oleo caritatis que supereminenter super alia carismata instar olei supernatat. — p. 447: Quilibet ergo salvandus debet esse spiritualiter virgo in hoc quod declinans a malo sequitur agnum sponsum ecclesie; debet secundo esse sacerdos, offerens Deo fructum meriti, et debet tercio connectendo hec duo ad invicem in istis perseverare finaliter tamquam martir — Serm. I, p. 208: Non enim satis est audire simpliciter verbum Christi, cum hoc faciunt bestie atque aves, sed oportet ipsum servare memoriter et implere opere diligenter.

2) Serm. II, p. 263 sq.: Ponitur autem duplex parabola in confirmacionem istius sentencie; prima est de construccione turris et secunda de bello in hostibus committendo. Pro primo notandum quod oportet omnem salvandum turrim virtutum sibi construere et regnum celorum secundum violenciam sibi factam acquirere vel scalare. Fundamentum autem istius turris est humilitas quam oportet in centro fundari, hoc est, domino Jesu Christo. Oportet enim fundamentum turris que ad tantum ascenderet esse in fundacione solida stabilitum, sed (ut dicit Apostolus) „fundamentum aliud" ad talem turrim „nemo potest ponere preter dominum Jesum Christum". Exaltacionem autem talis turris oportet intelligere in gradibus et regulis caritatis, et sic quecunque virtus turrificanti infuerit, dum illam virtutem usque in finem compleverit, sufficit ad scalacionem regni celorum. Quicunque enim non

litate caritate paupertate constare.[1] Sed ut redeamus ad alteram similitudinem, is qui ipse *in observancia mandatorum* stat spiritualibus adiutoribus neque carebit cum diabolum regem a turri sua repellere debeat et victoriam reportabit a multo maiore hostium exercitu, si semper in castris *virtutum studium vel providenciam* habuerit.[2]

Christum tam humanitus quam divinitus pure dilexerit non habet virtutis excellenciam secundum quam sit dignus ut regnum celorum inhabitet. Sed ad talem gradum caritatis pauci in via adveniunt, ut patet de sedecim eius condicionibus (quas ponit Apostolus 1 Cor. XIII°, et Sermone XXXIII° recitavi); ideo oportet viantem continue secundum gradus virtutum ascendere, et omnino caveat ne instar edificancium turrim Babel (Genesis XI°) deficiat sibi humilitas quam oportet esse in isto edificio fundamentum. Tunc enim potest contra inimicos in ista turri secure ascendere. „Sumptus autem necessarii ad perficiendum" hanc fabricam sunt opera necessaria ad virtutem cum circumstanciis evangelicis requisitis. Nam intrans religionem Christi et in istis deficiens a tota caterva demonum illudetur, ymmo a Deo et tota triumphante ecclesia subsannatur. Habet enim in sua naturali potencia sumptus sufficientes ad istam fabricam nisi forte stulte et improvide in ministerio dyaboli consumpserit illos sumptus. Illa autem est summa illusio viatoris qua inproperando vere sibi dicitur quod „iste homo sic cepit edificare" in militante ecclesia „et" propter stultas dilapidaciones huiusmodi „non potuit consummare". Nemo enim vians est tam pauper in naturalibus qui secundum naturales potencias anime et corporis poterit sumptus tales virtutum sufficienter componere pro edificio huius castri, si non assit prodigalitas in ministerio dyaboli

1) Eccl. p. 63: Doctrina autem Christi sunt humilitas, caritas et paupertas. Quicunque ergo oderit ista, non imitando Christum ut aquila, scito quod non sit de sua ecclesia.

2) Serm. II, p. 265: Sed quia contingit sic turrificantes sepe procedere pugnando cum hostibus, ideo secundum exemplum Christi est de rege qui est cum exercitu pugnaturus: „Quis", inquit, „rex iturus committere bellum adversus alium regem, nonne sedens prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se?" Iste rex est quicunque virtuosus qui secundum istas virtutes edificat sibi turrim, sed rex alius est dyabolus qui est rex super omnes filios superbie cum quo oportet quemlibet predestinatum ad gloriam decertare, ideo oportet istum in quiete et studio cogitare, quomodo cum dyabolo et suis complicibus decertabit. Decem autem millia sunt spirituales adiutores universitatis sanctorum stancium in observancia mandatorum, et viginti millia sunt apostatarum universitas qui secundum infamem binarium prevaricacionis decalogi duplicantur. Cum isto autem exercitu oportet virtuosum exire pro premio ad pugnandum; ideo ipsum oportet in castro virtutum habere studium vel providenciam quomodo tantum exercitum superabit

Itaque cum Wiclif confidat ab ecclesiae membris virtutes bonaque opera exerceri,[1] quaerere necesse est qua facultate usus fidelis vim potestatemque bene vivendi habeat. Sed Wiclif non dubitat quid respondendum sit, nam cum doceat virtutes fieri debere, idem demonstrat illas adhiberi posse. Nullis enim aliis viribus salvandus uti debet nisi illis quas in se habet, quoniam *nemo vians tam pauper* sit *in naturalibus*, quin *naturalibus potenciis anime et corporis* careat, nisi sua stultitia illas potentias dissipaverit.[2] Unde autem illae naturales potentiae fideli contigerint Wiclif demonstrare videtur, cum docet baptizatos *Christi armaturam induisse* vel *Christum* ipsum in illos *illapsum* esse.[3] Nam omnibus huius saeculi postpositis rebus *instar ferri vel carbonis candentis* Christum et fidelem sese invicem penetrare et permiscere debere.[4] Quicumque igitur baptizatus est Christum induit et qui Christum induit tantis potentiis exornatur, ut ex se ipso bona opera praestare possit.

Wiclifium igitur primum censere invenimus eum qui membrum ecclesiae se esse et salvari velit legi Dei oboedire

---

1) Eccl. p. 24: Nec solum isti sed omnes eorum imitacionis filii sunt eadem membra sancte matris ecclesie quod, si alicui desit virtutis officium, deerit sibi indubie quod sit sancte matris ecclesie membrum.

2) Serm. II, p. 264 (vide supra p. 66 n. 2).

3) Eccl. p. 396: Et isto modo loquitur Apostolus, Galat. III⁰, 27: „Omnes qui in Christo baptizati estis Christum induistis“. Membra enim Christi non sunt nuda virtutibus, sed induunt armaturam suam saltem in spe, imitando ipsum imperfecte, si sunt de suo exercitu. — p. 487: Nec miremur quid scriptura tam crebro precipit nos induere Isaac nostrum, quia notum est quod indumenta anime sunt virtutes, Christus autem Dei virtus et Dei sapiencia et forma exemplaris extrinseca efficiens et finis sine cuius illapsi informacione non est creatura aliqua virtuosa. Habitus autem qui sunt qualitates et forme intrinsece non sunt nisi consuetudines et promptitudines ad agendum. Unde Christus illapsus membro suo tamquam sibi accidente dicitur et ipsum induere et contexens virtutibus sapiencia perornare.

4) Eccl. p. 101: Oportet enim christianum esse Deo insorptum per amorem, sic quod tota terrestritas instar ferri vel carbonis candentis pro zelo honoris Dei, honore seculi postposito, sit ignita. — Serm. II, p. 262: Quicunque enim de religione Christi omnia et singula istorum trium (i. e. patrem matrem, uxorem filios, fratres sorores) pro amore Christi non contempserit vel non postposuerit in affeccione pro observancia legis sue, est indispositus ut sit Christi discipulus in moribus sequens ipsum.

vel secundum legem Dei vivere debere. Deinde vidimus illa lege Dei contineri caritatem humilitatem paupertatem quas adhibere is revera possit qui baptismo Christum induerit. Quae quamquam cum doctrina evangelica consentire videntur, tamen non magis evangelica notio iustificationis apud Wiclifium invenitur quam ab eis quae Wiclifium de gratia baptismo infusa docuisse demonstravimus valde opinio vere evangelica abhorret. Contra hac in re nobis apparet opinio medii aevi theologorum omnino propria quam cum Thomas tum Franciscus defendit, doctrinam dicimus quae est de imitatione Christi.

Nam fidem sine caritate informem esse neque sufficere ad hominis salutem iam Thomas docuerat, sed potius *per charitatem actum fidei perfici et formari*, quin etiam caritate fere sola homines salvari.[1] Quam caritatem habent primum qui scripturae sacrae praeceptis oboediunt atque bonis operibus ad beatitudinem aeternam necessariis ornati sunt. Sic vitam activam agentes i. e. bonis huius mundi utentes atque muneribus civilibus fungentes, *dummodo in eis finem non constituant, ad beatitudinem aeternam pervenire* possunt. *Melius* autem *et expeditius possunt homines consequi finem praedictum*, si adhibent consilia evangelica. Quae *consilia in optione posita sunt ejus cui dantur* atque ei suadent, ut *totaliter ea quae sunt mundi abjiciat. Bona autem hujus mundi* sunt *divitiae exteriorum bonorum, deliciae carnis, honores. In quibus tribus derelinquendis fundatur omnis religio quae statum perfectionis profitetur.*[2] Religiosorum igitur vita contemplativa paupertatem castitatem humilitatem complectens hoc loco ut optima ad salutem via commendatur atque id eo magis, quod Christus eiusque apostoli sic vixerunt. Quos imitari nos non modo possumus sed etiam quam maxime debemus.

Eodem modo Franciscani paupertatem esse omnium virtutum originem atque fontem nuntiabant neque minus demonstrabant hominem vere christianum eo quoque Christum eiusque apostolos imitari debere, ut inopibus miserisque auxilium ferret. Quamquam enim vita contemplativa superior

---

1) Summa theol. II, 2 qu. 4 art. 3.
2) Summa theol. II, 1 qu. 108 art. 4.

atque pulchrior sit, tamen vitam activam ad hominum res pertinentem utilem esse neque omnino carendam.

Qui igitur ut *status perfectionis* et a Thoma et a Francisco nuntiatus erat docentibus, qui consiliis evangelicis paupertatis humilitatis castitatis oboediret neque minus caritatem miseris adhiberet eum optimam ad salutem viam ire, eundem a Wiclifio commendari videmus, cum docet eos qui secundum legem Dei vivant esse membra ecclesiae salutem adeptura. Quam sententiam comprobatam videbimus, si quid cuique ordini observandum Wiclif praeceperit quaesiverimus.

In sermone quodam nos docet ecclesiam constare ex tribus partibus vel ordinibus, laboratoribus dominis temporalibus clericis vel ex parte bona meliore optima.[1]

1) Serm. I, p. 252 sq : Constat quod ecclesia integratur ex tribus partibus quarum prima generacione et infima perfeccione est vulgus vivens de laboricio vel arte mechanica; et ista pars est bona et secura, si servet Dei mandata et labori fideliter sit intenta. Secunda pars ecclesie melior sunt domini temporales, et illa pars perficiens quod incumbit suo officio est perfeccior sed periculosior. Officium autem suum est legem Dei defendere, servos Christi protegere et Antichristi ministros opprimere. Hec enim est causa cur portant gladium, et rex secundum Augustinum est vicarius deitatis. Est autem iste status periculosus et pronus, ut superetur superbia, cupiditate mundana et voluptate accidiosa. Tercia vero pars ecclesie optima est clerus dum perficit quod incumbit suo officio; debet enim mundum relinquere, ecclesiam vivificare ut spiritus (sicut notatur Luce IX⁰) et omniquaque proxime sequi Christum. — Dial. p. 2 sq.: Dividebam autem meam militantem ecclesiam in tres partes quarum prima foret clerus meus, qui vocantur sacerdotes Christi; qui me instar apostolorum propinquius in moribus sequerentur. Et sic ad animandum eos in humilitate, viverent de elemosinis instar mei. Per hoc enim de me magis recolerent; cum sim deus qui vendico partem decimam tanquam meam. Qui enim vivit de parte domini recoleret recencius dominum partem istam tam libere largientem. Secunda pars mee militantis ecclesie forent domini temporales, qui debent esse vicarii deitatis. Ideo sepe meminit augustinus quomodo rex est vicarius deitatis Sacerdos autem qui secundum humilitatem et pauperiem debet procedere est vicarius humanitatis domini jhu Christi. Et sic secundum potentiam regulatam racione debent hii domini virtuose defendere legem dei. Nam titulo istius servicii tenent de Christo tanquam capitali domino quicquid habent. Tercia autem pars militantis ecclesie sunt vulgares qui in operarios, mercantes et iconomos multipliciter sunt divisi. Ista autem tercia pars et infima ut fundamentum sustinet duas partes alias in corporalibus necessariis vite. Sed caritas que est tercia persona in divinis debet

Atque prima illa pars generatione alias antecedens, sed perfectione eis inferior circumscribit vulgus ex laboribus vel

connectere has tres partes. Omnes enim iste tres debent sibi ipsis prodesse reciproce et juvare. Clerus autem debet esse vita aliis duabus partibus inferioribus, et vivere ipsis spiritualius ac quo ad mores mundius; et sic tam vita quam verbis docere eos viam ad beatitudinem promerendum. Media autem pars que est domini temporales debet quadam austeritate modesta juvare partes alterutras extremales, et specialiter secundum legem dei in his que promovent ad beatitudinem [conse]quendam. Tercia vero pars vulgarium debet ex animo secundum regulam legis dei servire partibus duabus superioribus; cum omnes iste tres partes debent esse unum corpus ecclesie, currens hilariter in amore ad beatitudinem patrie consequendam. — p. 3 sq.: Correspondenter ad vitas et officia istarum trium parcium ordinavi illis regulas vivendi, ne in suis officiis confundantur. Clerum autem, qui debet esse supremus et celo propinquissimus, ordinavi a causis mundialibus et mundi sollicitudinibus maxime sequestratum, et sic non dominaret seculariter sed deberet esse pauper, similis statui innocencie instar mei. Et sic debuit docere duas partes alias mundum deserere tam opere quam sermone. Et ista vita similis aquiline est ad similitudinem vite angelice contemplativa perfeccior quam activa Et qui est indispositus hanc vitam vivere est indispositus clericari. Secunda autem pars ecclesie debet dominari seculariter et esse in temporalibus opulenta, quia hoc est instrumentum necessarium suo officio quod isti parti ecclesie limitavi. Sic enim deitas cohercet homines dando illis rerum affluenciam, et immiscet quodammodo potentiam coactivam. Terciam autem partem et infimam volo in labore corporali vivere et circa lucrum temporalium se cum moderamine ocupare; et sic omnes has tres partes ecclesie volo, tam in spirituali quam in temporali quantum racio exigit, ad suum officium habundare. Et sicut in trinitate increata est summa concordia, sic volo in hiis tribus partibus ecclesie esse amoris concordiam, controversia expulsa secundum virtutis regulas, cum ecclesia sit corpus liberi arbitrii quod per Christi capitis influencias reguletur. Disponat ergo se corpus ecclesie, et specialiter suprema pars que secundum augustinum debet esse montes, ut influencie hujus capitis coaptetur, et tunc bene regulabitur secundum graciam jhu Christi. Sicut enim pars bassior in qua vigent terre nascencia recipit influenciam suam a solari lumine, sic pars inferior terrene ecclesie recipit influenciam suam derivatam per clerum a sole justicie. — p. 80 sq.: Restat videre quibus personis ecclesie pertinet practizare et juvare in sentencia supradicta, et patet absque dubitacione quod quelibet persona militantis ecclesie debet juvare matrem suam pro illa sentencia modo suo: ut clerici racionibus et scripture testimonio arguendo ac responciones diabolicas repellendo; domini temporales inimicos ecclesie cohercendo, et tam in se quam in suis tenentibus vocatas elemosinas ab inimicis domini subtrahendo, quia aliter contra deum cum suis hostibus proditorie consentirent, et tercia pars ecclesie, scilicet laboratores et alii cum bonis temporalibus commercantes debent in hoc duabus partibus prioribus in temporalibus secundum racionis limites ministrare.

arte mechanica vivens atque pro bona et secura habenda est, si eius membra Dei mandata observantia labori fideliter intenta sunt. Cuius partis igitur sunt omnes qui in sordida arte versantur aut mercaturas faciunt, omnes qui litteris se tradunt aut artibus student, omnes denique qui rebus ad hunc mundum necessariis occupati sunt. Praeterea autem illorum est bona fortunae possidere et administrare. Hoc vinculo autem quo laboratores et cum activa vita et cum divitiis colligati sunt coguntur in iudicio contentiose secundum iura civilia causas agere et multos labores sustentare. Quae quamquam necessaria sunt, tamen non rebus mundanis obrui neque propter huius aetatis bona regni Dei oblivisci debent. Neque iis licet divitias quibus indigent fraude vel violentia arripere. Sed labore vel studiis ecclesiae utilitati esse debent scripturam evolventes vel ecclesiam ordinantes et ab hostibus defendentes.[1] Neque minus divitiis ita uti debent, ut cum *egentibus prompte et provide* suppeditent[2] tum clericis eleemosynas corpori necessarias mendicantibus praebeant.[3] Quin

1) De civ. dom. I, p. 124: Ex istis patet quod prima consequencia non valet: „Si omnia debent esse communia, tunc iura humana superfluunt"; cum artes, tam mechanice quam liberales, secundum theologiam ut sentencie regulate sibi debeant subservire, mechanice necessaria corporis preparantes, et liberalium alique, ut septem artes, ad Scripture sacre intelligenciam preparantes, alique, ut iura civilia, adversarios ecclesie compescentes, et alie, ut iura canonica, sicud decretum ecclesie ex Scriptura sacra elaboratum, secundum modum et ordinem debitum exequentes.

2) Serm. I, p. 259: Christus enim pauperrimus ex eternis diviciis miraculose pavit non phariseos vel principes sed plebem pauperem, sic secularis habundans in bonis fortune debet prompte et provide dare egentibus.

3) Eccl. p. 307: Quod cum sit nefas dicere, credamus ex fide scripture et testimonio sanctorum doctorum quod in apostolis docuit totum genus cleri sequentis vivere pure exproprietarie de elemosinis corporalibus laicorum et pro mutuo nexu caritatis habendo, non minus obligavit clerum suum ad retribucionem elemosine spiritualis, sic quod clerici sint necessariores et digniores in ecclesia quam econtra, et plus indigent seculares clericis quam econtra, sicut spiritualis elemosina est prestancior corporali, et sic oportet quod laici mendicent elemosinas spirituales a clericis ad quarum retribucionem clerici amplius obligantur, sicut oportet ut clerici mendicent elemosinas corporales a laicis ad quarum retribucionem multum valde sed non adeo laici sunt astricti, nec graviter feramus maioritatem obligacionis huiusmodi, quia hoc redundat in excellenciam clericorum.

etiam hoc fieri eo magis necesse est, quod, ut infra demonstrabitur, clero divitiis vel negotiis se implicare nefas est. Quoniam enim *possessio temporalium ecclesie utilior et congruencior in secularibus quam in clero* est,[1] divitiae quas quidem ecclesia possideat, a saecularibus administrantur quos Deus *instigat,* ut clero *in corporis necessariis subveniant.*[2] Ex quo facile cognoscitur laboratores tum modo tolerandos vel pro ecclesiae membris habendos esse cum in omnibus suis operibus et divitiis utilitati ecclesiae servientes Dei mandata i. e. legem Dei observent.

Altera pars ecclesiae quae ex dominis temporalibus constat est melior et perfectior parte vulgi laborantis, si suo officio incumbit. *Officium autem* eius *est legem Dei defendere, servos Christi protegere et Antichristi ministros opprimere. Hec enim est causa cur portant gladium, et rex secundum Augustinum est vicarius deitatis. Est autem iste status periculosus et pronus, ut superetur superbia, cupiditate mundana et voluptate accidiosa.*[3]

Quibus verbis Wiclif omnia quae de ordine regali sentit circumscripsit. Regibus enim vel dominis temporalibus maiora privilegia conceduntur quam vulgo laboranti et alia atque sacerdotibus. Nam id quod laborantibus obvenire non potest

---

1) Eccl. p. 461: Possent enim seculares dicere (ut audivi quosdam instructos ex ista sentencia): Tu dicis quod tam necessaria est modo possessio temporalium quam necessaria fuit in primitiva ecclesia potestas faciendi miracula, sed possessio temporalium est ecclesie utilior et congruencior in secularibus quam in clero. Ideo quam necessaria fuit in clero potestas faciendi miracula in primitiva ecclesia, tam necessaria est hodie in secularibus possessio terrena.

2) De civ. dom. I, p. 133: Cum nullis negociis secularibus se involvit, sed habet per ea vite necessaria ex labore manuum vel ex gracia Dei, populum ad subveniendum sibi in corporis necessariis instigantis.

3) Serm. I, p. 253 (vide supra p. 70 n. 1). — Trial. p. 297 sq.: Nam ut dicit Augustinus, sicut papa est vicarius Christi, sic rex est vicarius Dei: quod sic intelligo; sicut papa debet sequi humanitatem Christi in moribus, vitam pauperem more Christi et apostolorum vivendo, opprobria et contemptus supra ceteros patiendo, sic rex debet esse vicarius Deitatis, rebelles et dirumpentes Dei ordinem severe cum coactiva potentia coercendo, cum secundum apostolum Rom. XIII. 4, non sine causa portant gladium, hoc est habent a Deo potentiam coactivam. — De officio regis p. 78 sq.: Officium dominorum temporalium et regum precipue est legem ewangelicam potestative defendere et ipsam in sua conversacione diligencius observare.

et a clericis non sine peccato adhibetur, illi *recipiunt licite et meritorie pro se et heredibus suis in perpetuum civili titulo redditus et proventus*[1] atque ut Jesu Christi deitatem sua maiestate potestateque in ecclesia repraesentent a Deo gladium acceperunt, ita ut non modo possideant, sed etiam regnent. Sed reges cum maioribus privilegiis fruantur, difficiliora sunt eorum officia et graviora pericula. Nam ut praetermittamus illud *abiectum officium* quod *bona mobilia regni sui custodiant,* primum necesse est reges secundum legem Dei regna ita gubernare, ut et rebelles coerceant et iustos cum promoveant tum ab hostibus defendant.[2] Quamquam autem civili tantum titulo privilegia illa possident et *humanis* modo *iuribus principaliter innituntur,*[3] tamen omnibus temporibus memores esse

---

1) Eccl. p. 364 sq.: Notandum quod domini temporales recipiunt licite et meritorie pro se et heredibus suis in perpetuum civili titulo redditus et proventus, tam propriorum dominorum quam filiorum nobilium subditorum quorum custodia est in manus dominorum capitalium devoluta, sed sicut non vivunt hanc vitam sine peccato, sic non exercent actus tales civiles sine veniali, illud tamen quod foret in domino seculari licitum et meritorium foret in sacerdote Christi dampnabile.

2) De civ. dom. I, p. 188: Hoc ergo supposito, videndum est quod debet esse officium regis in quantum huiusmodi; et constat quod non solum custodire bona mobilia regni sui, quia hoc officium in ecclesia est plus abiectum, ut patet ex dictis, capitulo XXII. Cum ergo regis sit ministerium Dei, secundum eminenciam virtutis gradui correspondens, patet quod regis est regere secundum legem divinam homines regni sui; et cum partes iusticie sunt declinare a malo et facere bonum, patet quod rex debet rebelles divinis legibus et aliis subministrantibus cohercere, et factores iusticie secundum caritatis regulas promovere. Patet ex hoc quod reges habent a Deo potestatem subiectos suos ministraliter regulandi; non est regulacio hominis, si non ista: ergo habent a Deo potestatem ut illud faciant. Et cum hoc sit precipuum Dei ministerium, quod est principaliter exequendum, patet quod hoc principaliter spectat ad regum officium. – Serm. II, p. 413: Secundum legem Dei reges et temporales domini tenentur opera corporalis misericordie suis tenentibus ac subditis specialiter exhibere; sed precipuum opus misericordie est iniuriatos taliter relevare. — p. 421 sq : Satis est quod quilibet talis (i. e. iniuriatus vel oppressus) appellet ad Deum et meritorie ad potenciores suos subditos quorum interest adiuvare. Cum ergo regum interest in tali casu iuvare suos legios per Antichristum oppressos, manifestum est quod ipsi debent contra ipsum per artem suam exponere tam de lege Domini quam nature. — Hoc enim non est onerare reges et dominos sed ad opus plus meritorium excitare, et de quanto eis facilius et a tradicionibus humanis distancius, de tanto eligibilius.

3) De civ. dom. I, p. 132: Et patet quod civilitas non distingwitur ab

reges debent revera a Deo illam potestatem se recepisse[1] atque omnes leges humanas lege Dei circumscriptas esse et regulari. Quamobrem secundum est regum, ecclesiae servientes legem Dei defendere *statum sacerdotum ordinantes,*[2] *causas ecclesiasticas discutientes,*[3] quin etiam sacerdotes *rebelles cohercentes.*[4] Summum autem officium ecclesiasticum est, ut domini temporales clericis qui ipsi nec dominatione civili nec divitiis se implicare debent titulo eleemosynae suppeditent *quidquid et quantumcunque voluerint.*[5] Tertium autem regibus lex

habicione naturali per talem proprium modum habendi, sed penes titulum, penes officium, et penes vinculum: penes titulum, quia civiliter dominans innititur principaliter humanis iuribus, ubi dominans naturaliter innititur solummodo titulo caritatis.

1) Dial. p. 2: Vicarii deitatis. — Nam titulo istius servicii tenent de Christo tanquam capitali domino quicquid habent.

2) Serm. II, p. 96: Ex quo notandum est quod ad reges pertinet statum sacerdotum et ministrorum ecclesie ordinare: sic enim licet perverse ordinavit Constantinus suum sacerdotem Romanum super omnes sacerdotes christianismi preponi.

3) Serm. II, p. 422: Ad secundum patet quod reges cum sint fideles ecclesie debent ecclesiasticas causas discutere, ymmo (sicut placet Augustino et ceteris sanctis) debent adulteria, rapinas et ceteras iniurias Dei et hominum in regnis suis destruere eo quod fovendo illa vel permittendo, cum destruere sufficerent, foret non solum regna sua perdere sed dampnacionem perpetuam ex omissione divini officii iniuncti incurrere. Hec enim est causa quare secundum Apostolum „portant gladium“.

4) Eccl. p. 13 sq.: Ex qua conclusione patet, primo quod dicti principes sunt pars dicte ecclesie, cum aliter non essent ad suum propositum intra ecclesiam. Patet secundo quod ipsorum est cohercere rebelles ecclesie, ubicunque requiritur potencia civiliter coactiva. — p. 350 sq.: Et sic videtur mihi quod rex noster habet super clerum suum legium quoad bona nature et bona fortune secundum quid civile dominium. Si autem viverent vitam omnino exproprietariam, sicut vixerunt Christus et Baptista, non forent sic subiecti, et sic racione bonorum fortune et bonorum nature in casu quo contingat in eis abusus vel contemptus notabilis licet regi eos civiliter cohercere, non in quantum sacerdotes, sed in quantum regis elemosinarii vel homines eius legii contempnentes. Et sic regi suo in corpore et bonis multipliciter sunt subiecti. Econtra autem rex debet esse eis subiectus in hiis que sunt ad Deum, ut sit sic mutua connexio caritatis et ordinis utrobique.

5) Eccl. p. 365: Unde minus remotum est a sacerdocio Christi recipere a dominis temporalibus alternatum usum uxorum suarum secundum copulam carnalem (quod credidit Nicolaus dyaconus fuisse licitum), quam quod recipiant a seculari domino dominacionem civilem; utrumque enim istorum foret horribile, sed secundum horribilius, cum

Dei non modo defendenda,[1] sed etiam implenda est. Nam cum potestatem nec ab ecclesia nec a pontifice maximo sed immediate a Deo acceperint,[2] numquam omittere debent se ipsos Dei legi prorsus subditos esse. Quamobrem *hortandi sunt domini seculares, ne* potestate adducti aut *vera ecclesie privilegia auferant* aut *caritatis regulas* migrent,[3] sed ut legis Dei memores opera caritatis et misericordiae subditis suis maxime exhibeant.[4]

Cum igitur viderimus laboratorum esse divitias possidere, regum autem gubernare, clero qui optima ecclesiae pars

carnalis procreacio stat cum sacerdocio, non autem civilis dominacio. Ideo inniti ad dotacionem civilem cleri Christi non foret sui vel sacerdotum eius honoracio, sed detestanda turpacio, quia de clero qui prius fuit nude de sorte domini, faceret apostatam de sorte seculi. Ideo domini temporales dant clero titulo elemosine quidquid et quantumcunque voluerint et non deturpant eos dominacione civili.

1) Serm. IV, p. 143: Constat enim ex testimonio multiplici et racione quod Deus prudenter ordinat suam ecclesiam, quia ideo ipsos posuit in hoc statu, ut per dominativam et coactivam potenciam defendant in membris ecclesie legem Christi, quod si omittunt illud officium, servientes diabolo et mundo, insultus membrorum diaboli contra suum dominum permittentes, quis miles mundi est vecordior, a laudabili milicia plus culpande abstraccior, aut falsior in hoc mundo? Debet enim milicia legem Dei et membra sua potestative defendere, quod si propter lucrum seculi vel voluptatem carnis omiserit, quis miles est in causa Dei vecordior?

2) Eccl. p. 324: Nec video quomodo fundabitur pure ex fide scripture quod oportet imperatorem accipere imperium a suo pontifice. -- Trial. p. 297 sq.: Rex est vicarius Dei — rex debet esse vicarius Deitatis — secundum apostolum Rom. XIII. 4, non sine causa portant gladium, hoc est habent a Deo potentiam coactivam.

3) Eccl. p. 157: Hortandi tamen sunt domini seculares ne arguendo per locum ab insufficienti similitudine auferant vera privilegia ecclesie propter cupidinem temporalium vel vindictam. Hortandi sunt secundo ne ex invidia vel alia causa pretergrediente caritatis regulas sit fugitivo culpa imposita vel prodicionis suspicio palliata. Et hortandi sunt tercio ne alicubi et specialiter infra septa ecclesie sanguinem effundant innoxium, sed honorent sanctam matrem ecclesiam secundum regulas quas Christus sibi instituit; ad que omnia oportet omnino consulere sensum catholicum scripturarum.

4) Serm. II, p. 413: Secundum legem Dei reges et temporales domini tenentur opera corporalis misericordie suis tenentibus ac subditis specialiter exhibere. — p. 415: Secundo quod caritas dominorum talium se extendat ad suos extrinsecos, ut regum ad suos legios et aliorum inferiorum dominorum ad suos domesticos.

sit neque possidere quidquam neque regnare licere Wiclif censet.[1] Nam cum laboratores regesque nullo modo Christi apostolorumque vitam accurate et diligenter imitari itaque legi Dei vere oboedire possint, sed potius in eo acquiescere debeant, ut labor et ministerium eorum ecclesiae miserisque utilitati sint, solis clericis illam optimam contemplationis vitam assequi licet.

Quae cum id ipsum sit quod dicitur vivere secundum legem Dei, eam officii loco clericis esse docet. Est autem posita, ut supra demonstravimus, maxime in paupertate quae spectatur et erga Deum humilitate et erga alteros caritate. Eademque est *vita exproprietaria* quam saepissime dicit, cum perfectam clerici vitam vult significare. Cum Christus pauperem degerit vitam, nihil magis abhorret ab officiis servi quam cogere divitias.[2] Itaque apostolorum exemplum

---

1) Serm. I, p. 253: Tercia vero pars ecclesie optima est clerus dum perficit quod incumbit suo officio; debet enim mundum relinquere, ecclesiam vivificare ut spiritus (sicut notatur Luce IX⁰) et omniquaque proxime sequi Christum.

2) Eccl. p. 169: Ex istis colligitur quod summum privilegium concessum christiano pro via foret quod, exproprietarie vivendo, Christo similius foret anterior in exercitu christiano — p. 176: Ex istis tercio colligitur quod summum privilegium pro statu vie foret ecclesiam esse exoneratam possessione civili temporalium, currendo libere post Christum in evangelica paupertate. Patet ex duabus conclusionibus precedentibus, nam ut sic disponitur fidelis Christo similius et paracius ad conquirendum regnum celorum. — p. 284: Tercio notaret sic arguens quomodo clerus veteris testamenti, quando vixit carnaliter, limitatus est per Deum sine solicitudine circa proventus vel redditus adquisitos vel datos humanitus, quid de oblacionibus, primiciis vel loco ad inhabitandum percipiet, quanto magis clerus spiritualis Christi pauperis et egeni excluderet se striccius a mundialibus de alimentis et tegumentis secundum regulam Apostoli I⁰ Tim. VI⁰ contentatus? — Si ergo clerus Aaronita tam carnalis, tam laboriose solicitus circa ceremonias legis sue, tam limitate et stricte habuit temporalia, quanto magis clerus Christi qui exemplo conversacionis et verbo predicacionis docuit mundum relinquere et conversando in celestibus ad eorum annichilationem laicos edocere? — p. 303: Non est possibile quod Christus, sponsus ecclesie, faciat vel habeat quicquam humanitus nisi secundum communicacionem tocius sue ecclesie, quia aliter esset sponsus ingratus sponse sue, cum sit personaliter sibi ydemptificatus, sed quelibet tanta communicacio excludet proprietatem civilem; ergo non est possibile quod Christus sponsus ecclesie vivat secundum proprietatem civilem. Et hec est racio quare Christus amavit bona communia et Apostolus tantum reprobat

secutus eleemosynis vitam sustineat.[1] Quod nisi fecerit, pauperes suis privabuntur[2] et ipse incidet in vitia iniquitatis et impietatis[3],

---

eos qui „querunt que sua sunt". — Trial. p. 297: Radix autem blasphemae perturbationis ecclesiae in hac parte ex isto suboritur, quod clerici abhorrentes Christi pauperiem sic implicant se cum mundo. Ex hoc enim perit eorum ordo, cum ubi generarent filios imitationis Christi et apostolorum, adulterative generant filios antichristi, et per hoc fortificatur regnum suum et regnum magistri sui diaboli supra proximos. — Serm. IV, p. 364: Ideo Christus docuit suos vivere pauperem vitam expropríetarie et Caribdim istam aufugere.

1) Trial. p. 302: Cum ergo non valet negare, quin oportet omnes fideles sequi Christum in moribus, patet quod in gradu summo oportet clericos specialiter in paupertate humili sequi ipsum. Unde religiosi nostri, utinam non false, confitentur concorditer tanquam substantiam religionis suae obedientiam servandam Christo, paupertatem et castitatem quam servabant virgines huic sponso. — Dial. p 2: Et sic ad animandum eos in humilitate, viverent de elemosinis instar mei. — p. 52: Confidat ergo sacerdos in domino et certet viriliter contra diabolum, seculum atque carnem, nec desperet quin deus de temporalibus sibi necessariis providebit, considerans illud Mt. 6° quomodo Christus dicit suis fidelibus quod non sint soliciti circa ista, monens per exemplum de volucribus atque liliis, quomodo deus non deficit eis in necessariis, quanto magis non servis suis fidelibus magis dignis. Ponat ergo se sacerdos fidelis in manu domini, et non ponat contra se obicem per peccatum, et non dubium quod quicquid sibi contigerit cedet sibi ad profectum anime salutarem. Paciatur ergo famem, sitim et corporis nuditatem, non tamen tantam quantam apostolus, et in istis omnibus gracias agat deo. Et stet constans fide quod deus non potest deserere servos suos fideles qui in fide et vita sua fideliter perseverant. — p. 53: Videtur tamen mihi racionabile quod curatus ocupatus ex dei ordinancia infirmitate corporali debet de parochia titulo elemosine, sicut prius cum moderamine, sustentari.

2) Eccl. p. 251: Debent enim expropríetarie vivere tamquam humiles et utiles procuratores pauperum, quorum bona custodiunt. Unde beatus Ysidorus, III° libro, De Summo Bono c XLII°: „Agnoscat," inquit, „episcopus servum se esse plebis, non dominum. Verum hoc caritas, non condicio exigit". Et XVI^a, q. I, sub auctoritate Jeronymi Damaso pape scribitur quod „quicquid habent clerici pauperum est". Pretendere ergo dominacionem secularem eciam plus quam laici super tam alienis bonis pauperum est horrendum mendacium.

3) Eccl. p. 85: Sed nemo sine formidine vel revelacione assereret quod sit predestinatus et sanctus sine macula vel ruga: ergo conclusio. Unde miror qua fronte magis contendentes pro proprietate bonorum ecclesie, magis seculariter viventes, elongati a Christi conversacione et plus steriles ab execucione Christi consilii et precepti plus vendicant titulo participii illius ecclesie bona fortunii per accidens adiacencia illi ecclesie, quam fecerunt apostoli vel sancti patres priores. Numquid credimus quod sic placitantes sunt sancti sine macula mortalis vel ruga venialis? Si dicunt quod sic, desercio Christi consilii cum ocio

cum praesertim summum sit laicorum officium, ut eleemosynas tribuant et pauperibus et clericis.[1]

Neque vero solum proprias opes repudiare debent, sed etiam abstinere ab omni dominatione atque ambitione. Nam humilitatis quoque sunt Christus et apostoli exempla.[2] Quos

---

sancti officii hos condempnat. Jus enim humanum non dat eis titulum taliter vendicandi, et ius divinum docet quod rapinam bonorum cum gaudio susciperent et que sua sunt non sic repeterent (ut patet cap. III⁰ ex testimonio beati Gregorii). Quo iure ergo sic vendicant, cum nitendo sic illi titulo ab eodem se privant? Considerarent ergo condiciones sancte matris ecclesie, antequam redarguti ex proprio opere contra Christi consilia sic instarent. — Serm. III, 167: Ex quibus videtur multis quod plus suspectum est clericos dotari temporalibus quam cohabitare cum fornicariis; sed istud peccatum est tam patule defensatum quod nedum non erubescitur sed quod est honorificum ac meritorium clerico reputatum. Ista autem delecio occasionis multipliciter „decet sanctos", cum mundi preservant se a volutabro peccatorum nec incedunt prope Caribdim, temptando Deum, sed preservant se a fedante pulvere ut speculum mundum, ut copiosius lumen recipiant a sole iusticie.

1) Eccl p. 187: Hic videtur mihi quod unum concluditur ex assumpto necessario, cum omnis christianus debet sequi Christum in moribus quantum sufficit, unde videtur mihi quod beatus Silvester potest dici ex pietate suscepisse elemosinas Cesaris corporales ad exonerandum eum, ad excitandum eius devocionem et procurandum tenerius pro fidelibus quam faceret populus laycalis; quod, cum stat cum paupertate evangelica, patet quod clerus non debet exinde inniti proprietati vel fastui, sed ad sui tedium secundum partes plus abiectas ministrare pauperibus de collatis elemosinis. Unde tales elemosine non possunt donari in perpetuam elemosinam quomodocunque clerus vixerit, sed sub condicione saltem tacita quod clerus sit vere sequax apostolorum in vita et opere. — p 365: Ideo domini temporales dant clero titulo elemosine quidquid et quantumcunque voluerint et non deturpant eos dominacione civili.

2) Serm. II, p. 119 sq.: Humilitas itaque est virtus secundum quam persona dicitur vere humilis, cuius principium est Christi humilitas, cum sicut nichil potest esse centro mundi inferius, sic nichil potest esse Christo humilius. Et necesse fuit Christum hanc humilitatem induere, cum per superbiam sibi oppositam dyabolus et primi parentes noscuntur ab innocencie statu excidere et post humilitatem Christi creditur beatam virginem fuisse humillimam. — Consistit autem vera humilitas in iniurie virtuosa paciencia, in Dei plena obediencia et in cogitacione fructuosa quoad honorem Dei foret in humilitate penalis tolerancia; quo contra apostata vel superbus pravo corde machinatur malum (ut dicitur Proverb. VI⁰). — Eccl. p. 324: Sed longe hoc ad inferendum quod clericus debet dominari civiliter, cum racione maioritatis infertur oppositum. Clericus ergo debet aufugere primatum, gloriam et excellenciam quoad mundum, et in hoc consistit eius maioritas quoad Deum.

aemulantes clerici omni imperio vel magistratui cedant civili et eo se contineant, ut modo verbum Dei praedicantes auctoritate polleant.[1] Quin etiam in eo Christum apostolosque imitari

---

1) Serm. II, 15: Omnem enim salvandum oportet sequi ipsum vel in passione vel saltem in moribus. Si autem quis non fuerit virtuosus, quomodo intrabit in patriam? Et si sic virtuosus quomodo Dei virtus causans et exemplans virtutem suam non erit dux quem sequitur in moribus? Et ideo sicut Christus est primicie dormiencium, penetrans primo celum, virtute cuius tractus et ductus omnes alii predestinati rapiuntur ad ipsum, sic ex fide omnem salvandum oportet sequi illum in moribus nec alium quantumcunque sanctum oportet attendere nisi de quanto in facto docuerit semitam Jesu Christi. — p. 15 sq.: Est autem multiplex sequela Christi, ut quidam sequuntur ipsum tam moribus quam martyrio sicut Petrus, quidam autem solum in moribus, et quidam deficientes in tercio signo sequuntur ipsum in nuda apparencia tamquam ypocrite, ut in nomine suo copiose possideant elemosinas datas ecclesie; et illi sunt multiplices secundum gradus scole et perfidie Antichristi. Petro autem dictum est a Christo quod sequeretur eum primo modo, ut intellexit tam ex verbis oris quam mentis; et consonum videtur quod Petrus pastor ecclesie figuravit activos, Johannes autem contemplativos, et prima vita fit in opere et alia in quiete, quod Petrus miles Christi egregius det suis sequacibus audaciam ponendi animam suam pro ovibus gregis Christi. Joh. XV⁰. Nam secundum evangelium „maiorem caritatem nemo habet nisi ut animam suam ponat quis pro amicis suis". Et tota ista sentencia ac longe plurior intelligitur in isto verbo dicto Petro: „Sequere me". — p. 114: Ideo probabiliter dici potest quod sicut Petrus gerit typum persone omnium pastorum ipsum sequencium, sic in eorum persona ordinavit Christus quod ipsa aggregata plus Christum diligeret. Augustinus autem diffuse sed obscure movet hoc dubium. Nam Petrus et activi quorum typum gesserat plus Christum diligunt in effectu, sed contemplativi ut Evangelista qui typum eorum gesserat specialiter in beatitudine plus Christum diligunt in quiete. — p. 254 sq.: Hoc evangelium ut priora hortatur ad paciendum martyrium cassato vento superbie. Dicit ergo primo: „Si quis vult venire post me" per sequelam in moribus, „abneget semetipsum" quoad inflacionem mundanam „et tollat crucem suam", aptando sibi vitam penalem, „et sequatur me" in modo humiliter gradiendi. Et istam triplicitatem oportet quemlibet salvandum servare, cum oportet ipsum si salvabitur sequi Christum, et non potest ipsum sequi debite nisi servaverit quodlibet horum trium. Oportet enim ipsum postponere vitam suam carnalem propter negocia Trinitatis et de tanto se ipsum abnegat. — Ex quo sequitur quod non licet vianti aptare sibi vitam voluptuosam delectabilem vel mundanam sed crucem suam debet tollere, hoc est, cum mundo, carne et superbia crucifigi. Sic enim loquitur Apostolus de crucifixione quod quicunque necessitantur ad tempus coniungi cum istis hostibus ex clavis amoris, determinantur hos hostes singulos detestari. Sed oportet omnimode notare quod talis vians sequatur Christum humiliter, quia in quantacunque levi inflacione superbie potest a via sequendi Dominum evolare. —

debent, ut libenter pro sua grege cum patiantur tum moriantur.

Aversi igitur ab omnibus temporalibus *spretisque* rebus

III, p. 166: Cum enim Christus tam gratis tractavit nos prius apostatas, lex nature monet quod sequamur tam pie patris vestigia ipsum effectualiter diligendo. Et signanter dicit nos debere „ambulare in dileccione", non ociari ut segnes nec adhuc quiescere benefice in termino bravii ut beati, sed ambulare continue merendo ecclesie ut viantes. Exemplar autem huius ambulatorie dileccionis est „Christus qui" effectualiter „nos dilexit et tradidit semet ipsum" primo flagellandum tamquam „oblacionem" et post occidendum tamquam hostiam in „odorem suavitatis accepte Deo", quia in fervorem caritatis intensissime, sicut figuraliter dicitur Levitici I° et III° de hostia consecranda. Licet autem attingere ad istum gradum non sufficimus, procedamus tamen continue versus hunc terminum, ita quod in nobis non sit defectus, quominus suaviter pro ecclesia moriamur; sic enim „Christi bonus odor sumus Deo", cum tamquam flores redolentes ecclesie taliter ambulamus. — p. 206: Ista epistola (sicut multe alie) docet quomodo debemus imitari Christum in modo vivendi. Et in diversitate istius sequele patet nequicia tocius ecclesie militantis. — Si ergo tanta Christi precepcio et tanta vasis sui doctrinacio et tanta passionis sue excitacio non movent ad sequendum Christi vestigia, non video quin inmobilis cum istis paribus sit dyabolus incarnatus. Planissima quidem sunt dicta Spiritus Sancti quod omnis viator debet omnimode sequi Christum. Si enim volumus celum adquirere, cum „ipse sit via" (Johannis XIV°, 6) sine qua nemo potest celum attingere, patet quod neccessitamur sequi vestigia huius ducis. — p. 491 sq.: In ista epistola hortatur Apostolus fideles quomodo ipsum imitari debent et annectit secundum quam formam debeant apostolos et viros apostolicos imitari. Omnes enim illi sunt fratres in Domino et possunt sine repugnacia omnes et singuli simul et semel Christum in moribus imitari. Nec vult Apostolus quod aliter ipsum vel quemcunque alium imitentur nisi de quanto ipse recte secutus fuerit ducem exercitus christiani dominum Jesum Christum; ideo dicit I^a^ ad Cor. XI°, 1: „Imitatores mei estote, sicut et ego Christi". Christus enim coraula noster est ubique, et omnes christiani fideles tenentur ipsum imitari in gradu dispari, ideo nec ex parte ducis nec ex parte sequentis repugnat sed consonat quod ipsum christiani singuli imitentur. Sed cum sint duces contrarii, non solum dux capitalis Christus sed eciam omnia eius membra debent diligencius annotari, ideo subiungit Apostolus: „Et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. — Ideo (ut dixi superius) sunt duo duces notandi, Christus scilicet atque diabolus, et respiciendo ipsorum modos vivendi contrarios videndum est utrum prelati nostri vivant diabolo similius sive Christo. Et ista regula quietaret Dei filios de obediencia christiana, cum virtute vere obediencie debeamus tales aufugere et Christo in omnibus obedire. — De apostasia p. 13: Solus Christus capi debet inter homines pro exemplo in vita et opere, secundum hominem quem assumpsit vel secundum membra sua, in quibus ut in sanctis operatus est, et quos ad suam sentenciam inspiravit. — Trialogus p. 179: Majorem mititatem nemo

mundanis cum *sapide sentire* debeant *celestia*,[1] omnis vita activa repudianda est clericis. Nam eo tantum, quod legem Dei praedicant, clerici cum laicis conducuntur. Ceterum otiatoribus

posset ostendere quam quod persona omnipotens, quae levi cogitatione posset omnes hostes suos, si vellet, prosternere, eorum injurias tam verbo quam opere ita humiliter sufferebat. Nec dubium quin causa quare sic fecit, fuit ut daret exemplum posterioribus membris suis, ut taliter patiantur. Quae patientia plus florebat in suis apostolis et carioribus ejus discipulis: nunc autem quasi omnino alienata est haec Christi imitatio, quia lex ejus et suum consilium quasi totaliter exulavit. — p. 299 sq.: Nam Luc. XIV. post parabolam Domini sic subjungit, „sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciaverit omnibus quae possidet, non potest esse meus discipulus". Quomodo autem Christus intelligit renunciationem in hoc verbo evangelico, ipse et ejus apostoli per conversationem pauperem satis docent; nam opera Christi et suorum discipulorum sunt interpres optimus legis suae. — p. 456: Et vitam Christi ac suorum apostolorum debemus, quantum sufficimus, imitari.

1) Eccl. p. 38: Ideo oportet ex operibus credere quod ipse (i. e. Urbanus VI) sit caput nostre ecclesie, cum mediate vel immediate influit motum tendendi sursum ad corpus Christi, „ubi congregabuntur et aquile"; et in facto docet mediate vel immediate mundana spernere et sapide sentire celestia. — p. 124: Unde tota doctrina christiana stat in ista oracione ecclesie qua rogamus sponsum per adventum eius in carnem, ut doceat nos terrena despicere et amare celestia. Despicere, id est, in affeccione postponere. Ille enim despicit temporalia qui a summa sede anime ipsa abicit et facit ipsa intencioni celestium abiectissime ministrare. Et bene foret sibi qui perfecte didicerit istam regulam religionis, tunc enim foret in recta via sequendi sponsum et assumptam iuvenculam in regnum celorum. — Serm. II, p. 18 sqq.: Sed dubitatur circa hoc evangelium que occupaciones sunt impertinentes pastoribus sub dicione Christi viantibus. Nec dubium quin contingit tripliciter esse occupacionem superfluam pastorum huiusmodi: primo in mentali consideracione, secundo in vulgari conversacione et tercio in mundiali dotacione. Quoad primum certum est quod quecunque noticia que non promovet ad sequelam Christi est prelatis impertinens et inepta, ideo debent dare totam sollicitudinem suam, ut cognoscant vitam et doctrinam ac gesta Christi in evangalio explicata. Quid (inquam) valet ad sequelam Christi consideracio sollicita logicorum? Quid valet ad eam noticia laboriosa naturalium philosophorum aut quid valet tercio ad ipsam sequelam demonstracio nota mathematicorum? — Sed secunda (ut dictum est) prorumpit ex affectu coniuncto intellectui in vulgari conversacione. Invenies quidem vocatos presbyteros omni genere scurrilitatis et immundicie conversantes, sicut patet ex tribus: primo in hoc quod sunt magis callidi inter omnes mercatores et istud officium secundum Crisostomum non potest eciam a laicis inculpabiliter exerceri; secundo in hoc quod omni genere secularis officii in domibus regum et aliorum mundialium occupantur. — Et tercio in hoc quod in rebus bellicis sunt consiliarii et (ut pre-

pastores subiiciuntur sicut pastoribus laboratores et cum activa vita in virtutibus sit melior, contemplativa est optima.[1] Ex quo recedens ab eis quae antea (p. 52) dixerat novissimis temporibus summe iubet clericos studere castitati.[2]

Potest igitur demonstrari de optima clericorum vitae forma idem docuisse Wiclifium atque Franciscanos. Atque priusquam aliis rebus commotus est, ut ab illis dissideret et quantum abessent illorum temporum monachi Franciscani a magistri sui doctrina intelligeret, fieri potuit, ut illos admoneret *locucio-*

---

tendunt) duces bellancium ordinarii ac tercio ex instinctu regis superbie prorumpunt in perpetracionem actus nefarii. Numquid tales non sunt irregulares, cum ante suscepcionem ordinis solus consensus irregularitatem induceret? Certum est quod quicquid ministraverint ecclesie, est irregulare nocens illis atque ecclesie, cum a Christo vel apostolis non habent exemplum, ut ipsos sequendo taliter operentur. — Et quoad tercium patet quod nemo est plus prelatis siciens seculare dominium, cum frustrati per patrem suum a ministerio quietante circumpalpitant quomodo in peregrino officio placeant patri mendacii. Nec solum iudicandi sunt tales clerici sed domini seculares ex consensu sui actus nepharii.

1) Eccl. p. 201 sq.: Illud autem exponit Augustinus super Psalmum XXXVIum de tribus statibus ecclesie militantis, qui sunt pastores, laboratores et ociatores. Pastores sunt prepositi ovibus Christi, quia instar floris campi et suorum agricultorum debent evellere, destruere, edificare et plantare. — Secundum iugum, signans infirmiores activam vitam ducentes, signanter exprimitur per terminos feminini generis. — Tercium vero iugum est quiescencium ab istis duobus officiis, sive sint clerici contemplantes, sive promiscui deprecantes, sive seculares domini imperantes. — Serm. II, p. 147: Et patet quod tres vite laudabiles in hoc evangelio innuuntur. Prima est bona qua vivunt homines extra vitam activam et contemplativam in virtute et gracia ut infantes. Secunda est melior qua vivunt adulti vigorosius in virtutibus ut activi, sed tercia optima, scilicet vita contemplativa, qua vivunt eroici Deo postposita tota sollicitudine temporalium adherentes. — Dial. p. 3: Clerum autem, qui debet esse supremus et celo propinquissimus, ordinavi a causis mundialibus et mundi sollicitudinibus maxime sequestratum, et sic non dominaret seculariter sed deberet esse pauper, similis statui innocencie instar mei. Et sic debuit docere duas partes alias mundum deserere tam opere quam sermone Et ista vita similis aquiline est ad similitudinem vite angelice contemplativa perfeccior quam activa. Et qui est indispositus hanc vitam vivere est indispositus clericari. — De civ. dom. capp. XXIII—XXV.

2) Trial. p. 302: Unde religiosi nostri, utinam non false, confitentur concorditer tanquam substantiam religionis suae obedientiam servandam Christo, paupertatem et castitatem quam servabant virgines huic sponso. — p. 317: Ideo benedicta sit conversatio virginum sine tali copula!

num venerabilis ordinis fratrum Minorum qui essent *quasi nichil habentes secundum civilem solicitudinem et tamen omnia possidentes.*[1]

Ex quo efficitur et laboratores et reges et sacerdotes tum demum esse posse membra ecclesiae cum diligenter pro sua quisque ratione legem Dei observent.

Ad hanc autem de lege Dei doctrinam quae plurimum valet ad vitam moresque iudicandos accedit alia de praedestinatione doctrina quam supra late fuseque tractavimus. Quae nunc ita adhibetur, ut ad vitam et mores pertineat. Miraque videtur illius ratiocinatio. Nam cum supra viderimus neminem pro certo et explorato posse habere num sit praedestinatus itaque ecclesiae vere addictus, nunc scriptum videmus qui temporalium sit cupidus atque legem Dei nec observet nec praedicet, eum cognosci esse hypocritam vel praescitum; itaque cum dicat praedestinatione divina homines membra fieri ecclesiae, tamen aliquid iuvare docet Christum religiose aemulari caritate paupertate legis Dei observantia.[2] Quare non dubitandum

---

1) De civ. dom. I, p. 129: Et ad istum sensum dicunt pollitici quod civiliter dominantes vere dicunt, „Hoc esse meum proprium"; sed collegialiter dominantes dicunt, „Hoc est nostrum", vel „meum in communi": sed pure naturaliter vel ewangelice dominantes perfectissime dicunt, atque verissime cum Scriptura, quod „Omnia bona mundi sunt singulorum nostri ordinis, et tamen nichil habemus civiliter in proprio vel communi"; et sic intelligo locuciones venerabilis ordinis fratrum minorum, qui sunt quasi nichil habentes secundum civilem solicitudinem, et tamen omnia possidentes. — Serm. III, p. 162 sq.: Et isto modo dicitur Fratres et Minores specialiter esse filios Dei carissimos, quod si nomen fratris extenditur, vocando quoscunque fratres in Domino et sic fratres, et vocando Minores eos qui in maiori humilitate quoad reputacionem suam sunt ministrativius fratres in domino, concedi potest quod fratres Minores sunt filii Dei carissimi, eciam iste secte novelle, supposito quod istam condicionem in vita et opere recompensant. Et sic intelligi potest racionabilitas huius legis quod oportet papam esse fratrem Minorem. — Sed contra in Trialogo p. 451: Unde quod dicitur, quendam Fratrem minorem electum in papam statuere et habere pro lege tanquam evangelica confirmata, quod nullus de cetero eligatur in papam, nisi fuerit Frater minor, ostenditur cautela antichristi insolubilis per quam posteri diabolice intricentur.

2) Eccl. p. 61: Tales autem sunt sive clerici sive laici pretendentes se operari ad edificacionem sancte matris ecclesie quidquid agunt, sed tamen quia habent intenciones frigidas temporalium propter quas principaliter agunt, ideo sunt ypocrite Deo abhominabiles ut aqua tepida que provocat ad vomitum. —

fuerit putare hanc eius fuisse ratiocinationem: quamquam omnino non certe possumus scire utrum praedestinatus sit hic vel ille necne, tamen sine dubitatione nobis licet dicere eum qui vivit secundum legem Dei esse electum. Ex quo alterum hoc sequitur, ut congregatio eorum qui secundum legem Dei vivunt vel congregatio bene sancteque viventium idem sit atque numerus praedestinatorum viatorum vel ecclesia atque sancta mater ecclesia.

Continetur igitur ecclesia iis qui observant legem Dei. Quod maxime et praecipue est clericorum, quippe qui non ita ut laici impediantur, quin iis ipsis quae faciunt membra se esse ecclesiae demonstrent. Laici enim maxime debent sequi legem civilem et cum eam necesse sit accommodari ad legem Dei, iidem huic quoque obtemperant. Contra clero una lex est Dei sola quam nullo modo licet negligere, cum lex civilis ei omnino non respicienda sit.[1] Ex quo sequitur, ut non modo sint de moribus leges clericorum propriae, ut neque quod clericus debet facere vel vitare idem debeat laicus et quae sunt officia laicorum propria clericum facere nefas sit, sed etiam ut clerici sint ecclesiae militantis principalia membra. Hic igitur invenimus cum summum inter clericos et laicos esse discrimen tum totam fere ecclesiam ex clericis solis constare Wiclifium censuisse.

Atque illa sententia prorsus comprobatur Wiclifii de dominio doctrina quae ab ipso in tractatibus de Dominio

---

p. 65: Presciti autem exeunt de archa ut corvi, sed propter amorem temporalium pro quibus instanter placitant demerguntur.

1) Serm. I, p. 359: Unde sacerdotes et prelati debent diligentissime notare evangelium Christi, ut sciant eius conversacionem interius et eius predicacionem in divinis sermonibus, ut sic per ipsum imitatorie regulentur. Ideo duodecim articuli fidei de Christo sunt efficaciter credendi et omnes actus nostri sunt sibi quantum sufficimus conformandi, quia aliter eciam quicunque prelatus fingens se esse servum Christi est infideli deterior. — III, p. 452 sq.: Sed cum ecclesia militans dividitur in hec duo, scilicet in clerum et populum, clerus autem debet esse pars Deo propinquior et in virtute ac observancia legis Dei plebeis superior, illustrans partem inferiorem ecclesie, sicut astra illuminant speram terre, patet quod clerus ad illam periculositatem temporis magis attenderet et per consequens dum tempus habet operetur bonum morum instancius et specialiter circa instruccionem brachii secularis.

Divino et de Civili Dominio exposita est. Quae cum praeter doctrinam de lege Dei adhibita esse dicatur ad notionem ecclesiae formandam,[1] necesse est brevi de illa quoque agere simulque dicere nos alio fortasse loco et alio tempore accuratius de illa esse acturos cum illorum tractatuum tres tomi qui hodie sub prelo sunt emissi erunt quod unus adhuc editus non sufficere videtur, ut totam illam doctrinam tractemus.

Wiclif enim docet dominium humanum constare ex *dominio naturali vel evangelico et* ex *dominio civili.* Illud *divinitus institutum* et *in primo titulo iusticie fundatum* lege Christi ut iure divinitus inspirato utitur. *Dominium* autem *civile occasione peccati humanitus institutum* et ius humanum *occasione peccati humanitus adinventum* adhibet, quod ex iure civili et ex iure canonico constat, quorum hoc de *articulis fidei in sanctis synodis sive consiliis explanatis* ratione coniungitur cum iure evangelico, de *tradicionibus* autem *humanitus inventis* alienum est a iure evangelico. Quamquam autem et ius civile et ius canonicum originem a primo peccato trahunt, tamen ipsa minime iniusta sed a Deo principaliter ordinata sunt, ita ut qui illa administrat, cum Dei organum sit, maiore dignitate non careat.[2]

---

1) Loofs, l. c. p. 198.

2) De civ. dom. I, p. 124 sq.: Ut autem ista materia sit clarior oportet ex dictis de iure trimembrem divisionem excerpere, scilicet quod aliquod est ius divinum, aliquod est ius canonicum, et aliquod ius civile. Jus divinum est ius a solo Deo institutum, per Christum verbo et opere explanatum, ut ex ewangelica. Jus canonicum vocatur ius a prelatis ecclesie institutum et promulgatum ad rebelles sacris regulis cohercendum: et potest intelligi ut incommunicans iuri ewangelico, ut sunt tradiciones humanitus invente; vel ut communicans iuri ewangelico, ut sunt articuli fidei in sanctis synodis sive consiliis explanati. — p. 125: Jus autem civile est ius occasione peccati humanitus adinventum ad iustificandum rempublicam coactive quoad bona corporis et fortune, sicut ius ewangelicum rectificat quoad bona gracie: sed post dotacionem ecclesie adinventa est una differencia inter ius canonicum et civile, quod ius canonicum rectificat bonum fortune et nature parti ecclesie clericali, ius vero civile rectificat predicta bona parti ecclesie laycali. Et de commixtione usus istorum disseminatum est seminarium magnum discordie in ecclesia sancta Dei, sic quod in toto sufficit ad propositum bimembris, iuris divini scilicet et humani. Jus divinum creatum est ius divinitus inspiratum: ius humanum est ius occasione peccati humanitus adinventum. — p. 125 sq.: Ex istis incidenter patet divisio inter dominium naturale vel ewangelicum, et civile. Dominium quidem naturale est dominium divinitus institutum, in

Quamquam nunc is qui cursim illa legit putare potest illam doctrinam a Wiclifio prorsus novam repertam esse atque doceri non modo ecclesiam sed etiam civitatem proprium esse et iuris et possessionis fontem, tamen vel ex eo quod, ut supra (p. 62) vidimus, omnes leges et privilegia civitatis legis Dei rationem habere necesse est, cognoscimus Wiclifium sustinuisse illam doctrinam quam Augustinus primus accuratius libris qui sunt de civitate Dei exposuit, nempe ecclesiam quoad et origo et natura et finis sit civitate superiorem esse. Nam quamquam cum multa ecclesiae instituta emendare cupivit tum vindicias ecclesiasticas ex temporibus Gregorii VII et Bonifatii VIII datas reiecit, tamen ecclesiam principem locum obtinere vult scilicet eam ecclesiam quam ipse animo confirmavit, quae minime consentit cum illa ecclesia a papis definita et creata.

---

primo titulo iusticie fundatum, quotlibet divites ex equo compaciens, sed alienacionem dominantis, servata iusticia, non permittens: dominium autem civile est dominium occasione peccati humanitus institutum, incommunicabile singulis et ex equo multis dominis, sed abdicabile servata iusticia. — p. 133 sq.: Oportet enim civiliter dominantem affeccione solicita secundum exigenciam vite active temporalibus colligari. Unde oportet ipsum in iudicio contenciose in casu secundum iura civilia ipsa repetere, quibus legibus oportet se submittere vendendo, emendo, vel aliter commutando: unde vinculum quod habet civiliter dominans ad divicias, potest ex commutacione dissolvi stante gracia. Econtra autem est de vinculo ewangelice dominantis; nam ille pure pre omnibus diligit Deum, et temporalia accessorie (ut supra capitulo XII. declaratur): unde non pro terrenis diviciis laboriose prosequitur, nec repetit ipsas in iudicio contenciose secundum iura civilia; sed sciens quod non exhinc hoc possidet, ymmo ex titulo caritatis, rapinam bonorum suorum, si evenit, gaudenter suscipit, dum noscit alienacionem non esse observanti caritatem possibilem. Unde de puro naturali dominio contentatus, omnem mercacionem civilem, ut emcionem, vendicionem, et consimiles commutaciones abicit; cum nullis negociis secularibus se involvit, sed habet per ea vite necessaria ex labore manuum vel ex gracia Dei, populum ad subveniendum sibi in corporis necessariis instigantis; et taliter vixerunt prophete quidem et appostoli: et sic auctor, usus, et lex variant ista dominia. Alii autem sunt mixtim dominantes civiliter et ewangelice, sicut sunt maior pars ecclesie, qui omnes sunt dominantes civiliter: nam sicut forma artificialis non potest esse nisi presupposita naturali, nec civile dominium nisi presupposito naturali (ut patet supra capitulo V.), nec credat aliquis quod lex civilis, que occasione peccati est humanitus instituta, non sit a Deo principaliter ordinata; quia aliter non poterit esse iusta nisi civiliter ordinantes et adinvenientes legem huiusmodi forent organa Dei principaliter ordinantis.

Nam tantum abest, ut rem publicam paris cum ecclesia dignitatis esse putet, ut saepius apud eum legamus civile dominium sapere peccatum.[1] Quin etiam vix civitati singulas res concedit vel iura lege Dei circumscripta permittit quoniam omnia cum civitate vel cum vita activa cohaerentia per se ipsa vitiis cupidinis vel superbiae vel avaritiae infecta sint, summa virtute christiana caritatis careant,[2] impediant quominus

1) De civ. dom. I, p. 139: Ex istis patet quod totum corpus iuris humani debet inniti legi ewangelice tamquam regule essencialiter directive. Nam eo ipso quo quis secundum iura humana preterit utendo diviciis terminos in lege Domini limitatos, peccat in Dominum, et per consequens se habet illicite ac illegitime quoad divicias. Argumentum patet ex dictis: et confirmatur quod iure humano non potest acquiri dominium nisi precedente dominio ex titulo caritatis; et per idem nemo potest servare dominium, uti diviciis, vel debite exequi ius humanum, sine ewangelica lege regulante. Ex quo patet quod theologus, qui et legista ewangelicus, debet omnem legem humanam et eius execucionem principaliter regulare, tum quia debet esse in caritate et per consequens habere in omnibus temporalibus interesse, tum eciam quia debet practicam sue sciencie exercere. — Serm. II, p. 374 sqq.: Una quidem racio quare cursus dominacionis civilis sapit peccatum est ista: secundum leges hominum heres taliter dominantis possidebit eandem hereditatem quantumcunque fuerit culpabilis quoad Deum. — Secunda causa quare civile dominium sapit peccatum est propter hoc quod dominantes civiliter sepe subtrahunt ab officio quod debent Deo et sue ecclesie, possessionati autem clerici et religiosi a tali ministerio amplius ociantur. — Tercia causa quare civile dominium sapit peccatum est ista: Ipsum enim innata cupidine pro acquirendo ac defendendo temporali dominio eciam implicando falsitates particulares exponit labores et sumptus nimis superfluos de bonis ecclesie. – Quarta causa est sollicitudo seculariter dominancium circa sua temporalia affectu divinorum postposito. — Quinta causa est, scilicet si secularis dominacio propter hoc quod sapit superbiam, invidiam, avariciam et multa animarum pericula tamquam disgrediens a statu innocencie in secularibus est cavenda, quanto magis in clericis et specialiter in religiosis nostris qui omnino ad oppositum sunt professi. — Eccl. p. 321: Conceditur ergo quod dominacio civilis sit quodammodo perfecta et necessaria perfecte supposito ad dominandum tam clericos quam laycos insolentes. Sapit tamen (in quantum talis) veniale peccatum; ideo non potuit Christo competere, nec auctorizatur in Christo et evangelio expresse sed innuitive, et ideo inferiori parti ecclesie quam Apostolus I^a Cor. VI°, 4, vocat „contemptibilem" debet competere.

2) Serm. I, p. 315: Secundo dubitatur ad quantum licet secularem non clericum turbative esse sollicitum, cum in omni vita activa sit intenta proprietas que excludit caritatem. Cum secundum Apostolum „caritas non querit que sua sunt", videtur quod omnis civilis possessio vel vita activa sit illicita.

solum regnum Dei petatur. Atque quamquam hae civiles res et leges exstant neque omnino sunt inutiles, ut quidam sibi constanter sentiunt, tamen non rei publicae sed ecclesiae causa ferendae sunt. Quamobrem ad theologiae normam illae dirigendae sunt. Nam ut praetermittamus artes mechanicas necessarias esse ad corpus sustinendum, liberales artes coluntur, ut aut scripturae sententia melius cognoscatur aut ecclesia ab hostibus defendatur aut res ecclesiae internae ordinentur.[1] Ex quo cognoscimus dominium civile et ius humanum ita modo a Wiclifio comprobari, ut non rei publicae sed ecclesiae inserviant. Quo in genere cui non in mentem venit illius civitatis, quam cum *terrenae* modo *utilitatis vel cupiditatis societatem*, quin etiam *magnum latrocinium* appellet, tamen adeo commendat Augustinus, ut illius *pace terrena* et *rebus ad mortalem hominum naturam pertinentibus, quantum salva pietate ac religione conceditur,* ad civitatis Dei utilitatem uti iubeat?[2]

Praeterea et hoc reputandum est Wiclifium non aliter atque Augustinum, qui docuit hominem peccato potestatibus suis ac iuribus privari, demonstravisse nullum peccatorem dominium civile obtinere posse eumque solum gratia praeditum atque civili dominio dignum habendum esse, qui caritatem possideat.[3] Supra autem vidimus ecclesiam constare ex iis qui caritate ornati sunt et nunc eos solos qui caritate praediti sunt civilis dominii participes esse. Ex quo sequitur, ut et ecclesia et civile dominium ex iisdem constet. Qui caritate carent nec membra ecclesiae esse nec civile dominium possidere possunt.

Quae cum ita sint, denuo probatur Wiclifium minime putasse civitati suo sibi iudicio uti licere, id quod multi illius aetatis

---

1) De civ. dom. I, p. 124: Ex istis patet quod prima consequencia non valet: „Si omnia debent esse communia, tunc iura humana superfluunt“, cum artes, tam mechanice quam liberales, secundum theologiam ut sentencie regulate sibi debeant subservire, mechanice necessaria corporis preparantes, et liberalium alique, ut septem artes, ad Scripture sacre intelligenciam preparantes, alique, ut iura civilia, adversarios ecclesie compescentes, et alie, ut iura canonica sicud decretum ecclesie ex Scriptura sacra elaboratum secundum modum et ordinem debitum exequentes.

2) Vide supra p. 7.

3) De civ. dom. I, c. I—VI. c. VII—XIV. c. XV—XVI.

legistae docuerunt,[1] sed ratione modo ab illo doctrinam quae est de dominio ita conformatam esse, ut revera aut ab ecclesia id gubernari aut congruere cum ea, utique autem ab ea absorberi dicat. Deinde videmus a Wiclifio de dominio doctrinam non ad notionem ecclesiae novam definiendam adhibitam esse, cum praesertim in illis libris qui ad doctrinam de ecclesia conformandam summi momenti sunt, in Tractatu de Ecclesia, Sermonum tomis quattuor, Trialogo notio dominii ne verbo quidem fere attingatur. Denique invenimus Wiclifium cum ecclesiae papalis regulis et Augustini sententiis adeo consentire, ut et discrimen inter laicos et clericos constare dicat maximum.[2]

Itaque cum Wiclif doceat et veram ecclesiam constare ex iis qui legem Dei bene observent et legem Dei a nullo homine accuratius observari posse quam a sacerdotibus, sequitur, ut clericorum bene viventium maxime sit ea, quam Wiclif definivit optimam, ecclesia.

Quo refutantur ii theologi[3] qui Wiclifium dicere opinantur omnes christianos Christi merito pariter cum Deo ipsos coniunctos eique paris servicii officio obligatos esse. Quamquam enim locis nonnullis esse quosdam a Christo ad officium sacerdotale consecratos vel alia huiusmodi dicuntur, non eandem habent illi vim atque Augustini illud quo docet omnes esse sacerdotes, quoniam membra sint unius sacerdotis,[4]

---

1) Gierke, deutsches Genossenschaftsrecht III, p. 534.

2) Eccl. p. 157: Sic timendum est de gente Anglie, nisi clerus redeat ad spiritualem humilitatem, ut olim, cum clerus ut anima et secularis ut corpus debent concorditer constituere virum unum; quod non potest fieri nisi ex mutua observancia legis Christi. Sepe enim in pruritu properitatis mundane est populus insensibiliter quoad Deum amplius peioratus. Hortandi tamen sunt domini seculares ne arguendo per locum ab insufficienti similitudine auferant vera privilegia ecclesie propter cupidinem temporalium vel vindictam. Hortandi sunt secundo ne ex invidia vel alia causa pretergrediente caritatis regulas sit fugitivo culpa imposita vel prodicionis suspicio palliata. Et hortandi sunt tercio ne alicubi et specialiter infra septa ecclesie sanguinem effundant innoxium, sed honorent sanctam matrem ecclesiam secundum regulas quas Christus sibi instituit; ad que omnia oportet omnino consulere sensum catholicum scripturarum.

3) Lechler, l. c. I, p. 567 sqq. — Buddensieg, l. c. p. 207. — Loserth in sua Tractatus de Ecclesia edit., p. VIII.

4) August. de civitate Dei XX, c. 10 (Migne 41, 676).

neque certe plus valent quam id quod Wiclif laicos quoque vult cum sua utilitate et fructu legere posse sacram scripturam et cognoscere legem Dei[1] idve quod dicit inter clericos multos esse praescitos. Semper enim nonnulli restabunt clerici *in quibus Deus semper servat sensum catholicum.*[2] Qui cum observent legem Dei, et utique pro praedestinatis sunt habendi et, quod solum ad eos lex Dei pertinet singulariaque eius proposita in vita assequenda, omnino a laicis separantur.

Neque tamen hoc omittendum est, cum normam hanc novam adhiberet legis Dei, acrius et subtilius illum perspexisse clericorum et monachorum suae aetatis vitia. Inter quos tam paucos conspicere sibi videbatur praedestinatos, ut facile posset commoveri, ut omnes qui tunc ipsum fuerant clericos extra ecclesiam esse putaret piosque laicos potiores ducendos esse diceret quam clericos rebus temporalibus deditos.

Invenimus igitur Wiclifium neque cum ecclesiam congregationem secundum legem Dei viventium esse doceat neque cum dominium divinum civili dominio obiiciat, superiorem se praebuisse iis quae a medii aevi theologis constituta sunt de imitatione Christi. Sed tamen ex illa de paupertate doctrina non parvas res sibi comparavit ad ecclesiam ipsam emendandam. Quod capite ultimo videbimus.

1) Lechler, l. c. I, p. 567 n. 1.

2) Trial. p. 261: Sed Deus sicut semper servat notitiam naturalem in laicis, sic semper servat sensum catholicum in quibusdam clericis, ut in Graecia vel alibi, ubi placet.

V.

Quemadmodum Wiclif et de praedestinatione et de paupertate doctrinam ad ipsius ecclesiae usum adhibuerit.

Cum Wiclif eo postremo adducatur, ut doceat ecclesiam constare ex iis qui legem Dei diligenter observent atque ex clericis bene viventibus, vix intelligi potest qui tantum potuerit tribuere ei ecclesiae definitioni, ut eam diceret idem esse atque numerum praedestinatorum. Atque iam tum (p. 30) demonstravimus quamquam persaepe mentio fieret illius notionis, tamen minus adhiberi eam ad ecclesiae notionem conformandam quam ad eas res quae pertineant ad ecclesiae usum. Itemque cognovimus illam notionem ne sufficere quidem ad reformandum ordinem sed Wiclifium item ut Romanos theologos obtinendum censuisse et discrimen inter clerum laicosque et principatum clericorum. Quamquam illae et praedestinationis et legis Dei paupertatem commendantis notiones plurimum valent ad vitam clericorum reformandam.

Constat Wiclifium non modo inter Augustini libros versatum atque Romani sacerdotis officiis functum esse sed etiam disceptationibus ecclesiasticis suae aetatis summo studio se dedisse. Quamquam enim nescimus quantam notitiam de Ludovici Bavari cum papis contentionibus vel de Minoritarum in Germania vi potestateque habuerit minimeque constat illum celeberrimum librum qui inscribitur Defensor pacis Wiclifio cognitum esse,[1] et quamquam alio loco et alio tempore perscrutandum est quae personae et qui libri in Wiclifio valuerint, tamen id facile ex eius scriptis cognoscimus illum paparum decretalium studiis operam[2] dedisse atque eorum iniustas vindicias persecutum esse neque minus iudicare potuisse quanti

---

1) Cf. Buddensieg, l. c. p. 151.

2) Laudantur Hugutius (circiter a. 1187), Archidiaconus (Guido de Baysio † 1313, apparat. ad Decretum 1296—1302, ed. Venet. 1503), Hostiensis (Henricus de Segusia cardinalis Ostiensis † 1271, summa aurea super titulis decretalium, post a. 1250, ed. Basil. 1573).

momenti venerabilis ordo fratrum Minorum[1] toti ecclesiae esse possit. Ex quibus intelligitur quam facile fieri potuerit, ut dissidium oreretur inter Wiclifium et eos qui decreta papalia sequebantur. Et scimus Wiclifium per duodecim annos de rebus ecclesiasticis cum papalium parte disceptasse priusquam tractatu suo qui est de Ecclesia demonstravit quid de illa cogitaret. Quae autem intra illos annos comperit atque invenit ad ea referendas esse putamus eius de ecclesia sententias. Nam cum regnum Angliae cum papa de multis rebus dissereret, Wiclif quoque coactus est sacerdotum superbiae et avaritiae in dies vehementius resistere. Postquam autem Angliae episcopi in Wiclifium invecti sunt duoque papae se invicem debellaverunt, eo magis Wiclif Romanae ecclesiae abusus aggressus est, cum praesertim et fratrum Minorum errores vanitatemque tunc cognovisset. Atque haec potissimum Wiclif petivit, ut clericorum mores emendaret neque vero magni momenti esse videtur, quod postea etiam singula ecclesiae dogmata purgare conatus est. Quamquam enim dissensus inter Wiclifium atque papae episcoporumque partem magis magisqe crevit et Wiclif in dies plura ecclesiae instituta vel dogmata aggressus est, tamen tantum abest, ut Wiclif ecclesiam omnino reformare et renovare studeret,[2] ut hic vel illic minores emendationes adhiberet.

Mittimus continua eius in suae aetatis clericos invectiva quae in omnibus fere eius libris maxime in Sermonibus permultae inveniuntur neque quidquam novi perhibent ad ea quae iam supra exposuimus. Sed oportere videtur quaerere et cognoscere quid visum ei sit ad illam normam legis Dei et praedestinationis revocanti papae potentiam et donationem illam quam dicunt Constantini.

Nam si ecclesia est communio praedestinatorum sub Christo capite coniunctorum, quod dicunt papam esse caput ecclesiae omnino reiiciendum est. Nam praeterquam quod id fieri nullo modo potest, cum caput ecclesiae angelis quoque ut membris eius superius oporteat esse, is autem honor soli Christo de-

---

1) Vide supra p. 84 n. 1.
2) Cf. Buddensieg, l. c. p. 208.

beatur quodque nefas est id sibi vindicare quod Christi est — si papa esset caput ecclesiae, monstrum fieret ecclesia. Nam ecclesiam *duo capita* habentem suo iure appellari *monstrum* aliam quidem notionem illis verbis subiiciens iam Bonifatius VIII docuerat.[1] Sed papa cum potius sit vicarius Petri *teneat se in limitibus Petri* i. e. ne ius sibi vindicet ligandi vel solvendi in purgatorio neve qui in coelo sunt beatos vel sanctos faciendi.[2] Nam neque usquam legimus tam amplorum munerum functionem ad ullum Petri successorem esse delatam et si illa essent papae privilegia, eius qui in terra esset papae maior esset potentia

---

1) Eccl. p. 5: Patet ex hoc quod capitalem illius ecclesie oportet esse super omnes angelos beatos, cum ipsi sint membra illius ecclesie, quod soli Christo potest competere inter omnes predestinatos, ut patet Hebr. I°, 4. — p. 17: Prima pars patet ex conclusione prima; si enim quis sit caput talis universalis ecclesie, tunc „est melior angelis effectus", ymmo omni beato spiritu creato, quod soli Christo potest competere secundum apostolum Heb. I°, 4. Oportet enim ipsum esse primogenitum ex multis fratribus, et per consequens, capitaneum ex dignitate iuris primogeniture. Unde si aliquis christianus foret cum eo caput universalis ecclesie, cum ipsa non potest esse monstrum, habens ex equo duo capita, ut dicit secunda conclusio, oporteret concedere quod est Christus, vel aliter quod Christus foret ipso inferior et humile membrum eius. Ideo apostoli confessi sunt concorditer se esse servos istius capitis et humiles ministros ecclesie sponse sue, nunquam autem presumpsit aliquis apostolorum asserere quod fuit caput vel sponsus dicte ecclesie, quia hoc foret antichristiane adulterari cum regina celi, zelotipando dominum Jesum Christum; quod foret nimis grave, cum Exodi XX°, 5, vere dicitur quod ipse sit „fortis zelotes". — p. 26: Nam iuxta secundam conclusionem unica est talis ecclesia cuius caput est Christus, et non habet in terris multa capita, ne sit monstrum Cum ergo nullus Christi vicarius sit Christus, sequitur quod nullus Christi vicarius sit caput illius ecclesie.

2) Eccl. p. 562: Oportet ergo dominum papam circumspicere ut teneat se in limitibus sancti Petri, et specialiter quod notet verba scripture sacre, non usurpando quod ligat et solvit in purgatorio subter terram nec ascendit in celum imperciendo premia beatorum, cum sint insolubiliter limitata, sed oportet quod teneat se virtuose in medio super terram. — Trial. p. 329: Non enim videtur hoc dictum in Petro ulteriorem sapere potestatem, nisi quod omne quod ligaverit vel solverit super terram conformiter ad Christi judicium et ecclesiae triumphantis, erit solutum et in coelis. Quod si erraverit in solvendo subditos vel ligando, quid sibi et hujusmodi dicto Petro? Quod si propter talem repugnantiam excommunicat vel damnat vel comburit sic loquentem tanquam haereticum infidelem, quis dubitat quin ista foret caeca praesumptio antichristi? Non enim est fides ecclesiae, quod ipse sit verus Petri vicarius vel salvandus.

quam qui mortuus proxime vivit Deum, id quod omni careret ratione, cum praesertim papae alter alterum potentia omnino aequent.[1] Neque fieri potest, ut potestas papae ut hominis procedat extra fines hominum communes. Quae cum ita sint, omnes illae canonizationes indulgentiae veniae paparum opes ecclesiae cetera similia occidunt in nihilum.

Neque eis contentus etiam tanto vehementius invehitur in pontifices Romanos ea quae est de praedestinatione doctrina nisus, ut non modo caput esse papam ecclesiae neget sed etiam an vere sit membrum ecclesiae dubitandum censeat illa commotus doctrina. Qui enim membrum ecclesiae se esse vult, eum necesse est esse electum. Atqui nullus papa certum et exploratum potest habere, num ipse sit in praedestinatis nisi forte particeps factus est specialis revelationis. Neque enim ipsum nomen papae neque quod a cardinalibus est electus ullam habet vim, sed qui est praedestinatus, is solus vere papa esse potest.[2] Atque impie postularetur a christianorum fide

1) Eccl. p. 566 sq.: Secundo per hoc quod pape singuli citra Christum sunt paris potestatis; cum ergo par in parem non habet imperium, videtur quod papa superstes non habet potestatem super omnes papas in purgatorio et in celo. Illi enim sunt excellenciores quia Deo propiores et cariores Ideo oportet quod papa superstes serviat eis et non imperatorie concedat quod Petrus vel alius beatus mereatur amico suo quantumcunque sibi placuerit limitare.

2) Eccl. p. 5: Prima, quod nullus vicarius Christi debet presumere asserere se esse caput ecclesie sancte catholice, ymmo nisi habuerit specialem revelacionem, non assereret se esse aliquod membrum eius. — p. 17: Ex istis colligitur, cum solus Christus sit caput tocius ecclesie que non est pars ad aliam iuxta primam conclusionem, oportet concedere quod sicut nullus christianus debet presumere se esse caput universalis ecclesie, sic nec debet sine timore et sine speciali revelacione asserere quod sit caput cuiuscunque particularis ecclesie. — p. 19: Verumptamen non est in potestate alicuius christiani constitucione, eleccione vel acceptacione statuere quod dominus papa sit caput vel membrum sancte matris ecclesie. Nam hoc consistit in predestinacione et gracia Dei nostri. — p. 33: Nemo enim potest dicere quod a papa prescito ut membro diaboli dependet salus cuiuslibet christiani, nec aliquis finget quod papa in quantum huiusmodi sit confirmatus in gracia. — Serm. IV, p. 193: Sed cum non sit in potestate cardinalium vel hominum eligencium talem facere vel eligere, videtur quod episcopus sic nominatus non sit regulariter papa ecclesie militantis. Tunc enim foret plus strenuus in pugna spirituali et omnium virtutum genere plus armatus. — Hic videtur mihi quod proprium est Deo talem ducem eligere, sicut proprium est Deo talem vir-

id quod nullo modo credere possunt, si quis vellet eos primatum papae pro dogmate accipere vel conaretur dicere papam nullo modo posse non esse praedestinatum. Sed potius papa non minus sollicitus esse debet de sua salute quam ceteri omnes homines.[1] Quamobrem tam stultum est quam impium illud quod Bonifatius VIII docuit *subesse Romano pontifici omni humane nature esse de necessitate salutis.*[2]

Itaque cum papa sicut ceteri homines non modo omnino non possit certo scire num ipse salutis particeps sit futurus, sed etiam errare possit itaque, ut certior fiat, scripturam eum

---

tuosum instituere sive cognoscere pre aliis, et per consequens, cum non debet esse eleccio nisi de cognito, videtur quod solum Dei est talem eligere.

1) Eccl. p. 32: Item, iuxta sepe dicta non sic assereret quod sit predestinatus, eo quod non est de substancia fidei catholice quod iste sit predestinatus. Ideo si assit sibi firma spes de hoc, oportet quod ex dono supernaturali fiat sibi specialis revelacio, sed si non sit predestinatus, non est capitaneus in ecclesia sancta Dei. — p. 464: Sicut ergo non est de fide quod omnis Romanus pontifex sit predestinatus, sic non est de substancia fidei quod sit caput vel membrum sancte matris ecclesie.

2) Eccl. p. 14: Quinta conclusio est ista: „Subesse Romano pontifici omni humane nature est de necessitate salutis“. Patet ex hoc quod nemo potest salvari, nisi meritorie subsit Christo; sed ipse est Romanus pontifex sicut est caput universalis ac cuiuslibet particularis ecclesie: ergo conclusio. — p. 29: Nulla ergo istarum viarum et specialiter ista verificat quod quicunque fuerit Romanus pontifex, sit caput universalis ecclesie cui oportet omnem christianum de necessitate salutis obedire. — p. 31: Ex quibus videtur mihi quod nullus Romanus pontifex cui non sit facta specialis revelacio assereret vel opinaretur quod subesse sibi sit de necessitate salutis cuiuslibet christiani. Nam (ut logici arguunt) multi sunt christiani pro suo tempore qui non subsunt sibi, sicut nec ipsemet qui est precipuus christianus. — p. 38: Nec dubito quin ipse detestaretur hunc sensum decretalis predicte quod sit de absoluta necessitate salutis cuiuslibet christiani subesse sibi in mundanis honoribus vel servicio seculari, cum non querit nostra sed nos, volens instar apostoli aliquem fructum spiritualem in nobis sicut in ceteris gentibus impertiri. Nec dubium quin nos omnes tenemur subesse sibi de quanto tamquam verus Christi vicarius mandat magistri sui consilia et non ultra. Et sic licet omnes christiani tenentur esse „subiecti invicem in timore“, sibi tamen (in quantum talis) est necessarium ex supposicione subici, cum regit tam evangelice tantum gregem. Et ex istis potest colligi sensus decretalis catholicus. — p. 76: Et sic implicant se ex predestinacione divina non posse dampnari nec temporalia posse a sua ecclesia spoliari, sed de necessitate salutis oportet omnes alios christianos eis subici et tamquam capitales in dominacione seculari ac spirituali omnium bonorum ecclesie dominari.

necesse sit perquirere,[1] tamen antecedit ceteros christianos privilegio quodam auctus quod quamvis exiguum sit pro eis quae ipse sibi vindicat, tamen ipsum est permagnum, ut, dum modo sit praedestinatus, rex sit et dominus particularis ecclesiae. Ecclesia enim militans dividitur in complures ecclesias particulares quas ipsa unica ut partes continet, ita ut ecclesiae Latinorum Graecorum Hebraeorum nominari possint. Atque papa est *caput tante Latine ecclesie quantam regit.*[2]

1) Eccl. p. 563: Et ille supponitur esse Romanus episcopus, sed in synodis pro dubiis decidendis non est credendum cuicunque vianti, nisi de quanto dictum suum fundaverit in scriptura. Unde non est credendum quod fides catholica vel in veritate que creditur vel in habitu ecclesie catholice dependet ab ista persona, cum sit errabilis et de possibili non membrum ecclesie. Ego autem non sollicitor quid papa facit vel loquitur, cum scio quod nec sibi nec alicui istorum doctorum credendum est nisi de quanto se in scriptura fundaverit, cum in ipsa sit omnis veritas proporcionaliter, ut est necessarium ipsam nosci. — p. 564: Caput ergo ecclesie Christus cum scriptura sua et sanctis doctoribus debet esse regula ecclesie in dubiis decidendis. — Serm. IV, p. 64: Non enim est evidencia: papa sic asserit, ergo verum, cum papa sit fallibilis et sicut fratres fatentur decipit et decipitur in iudiciis tam propriis quam iudiciis ecclesie et papa sepe dicit multas sentencias contra fratres, nichil ergo blasphemius quam sic magnificare virtutem aut potenciam pape cuiuslibet citra Christum.

2) Eccl. p. 19: Ex istis septimo sequitur quod dominus papa, si predestinatus est et exercet pastorale officium, est caput tante militantis ecclesie quantam regit, ut si sic regit capitaliter secundum legem Christi totam iam militantem ecclesiam, tunc est eius particularis capitaneus sub archicapite domino Jesu Christo. Hoc autem debet supponi in domino Romano pontifice, nisi factum doceat evidenter oppositum, cum clerus iam peregrinans consensit in eum ut capitaneum. — p. 92 sq.: Sed adhuc obicitur contra dicta per hoc quod communitas intelligit per Romanam ecclesiam papam et cardinales quibus est necessarium omnibus aliis obedire. Et sic intelligit maior pars ecclesie in tantum quod dominus Ardmacanus scribit Innocencio pape librum De Pauperie Christi tamquam capiti universalis ecclesie. Et talem stilum a maioribus et minoribus recipiunt pape communiter, ubi utrinque est verisimile quod nec papa nec suus fidelis subditus audiret talem blasfemiam, si stilus ille foret scripture sacre contrarius. Quare ergo non potest universalis ecclesia vocari quecunque universitas fidelium viatorum? — Aliqui descendunt particularius ad gradus universalitatum, et hii vocant ecclesiam Latinorum universalem ecclesiam, hii ecclesiam Grecorum vel Hebreorum, et sic de aliis linguis aut gentibus de quarum universitate solum considerant. Et hoc contingit vel ex radice superbie vel ignorancie. Nam quidam ex fastu aspirant quod sint magnarum universitatum capita. — p. 93 sq.: Quandoque autem

Quibus rebus contentiones fiunt, cum se quaeque pars haberi cupiat pro tota ecclesia singulaque ecclesiarum particularium capita alios quoque sibi subiicere studeant. Atque cogitari potest alicuius ecclesiae particularis caput superius esse ipso papa.[1] Quamquam illud iam factum esse Wiclif non meminisse videtur. Potius maiore dignitate et honore quam regimine ecclesiae particularis papam esse dignum profitetur.

Nam totius ecclesiae militantis caput esse papam legimus. Quamvis enim primo superborum vel adulantium tantum fuerit, tamen, cum nulla alia ecclesia particularis inveniretur quae cum illa excellenti a papa gubernata comparari posset, recte fecerunt qui a papa totam ecclesiam militantem esse gubernandam contenderunt. Illas alias enim ecclesias quas appellat Wiclif nihil nisi nomina esse iam ex eo cognoscimus, quod ecclesiam Hebraeorum commemorat. Potius cum ecclesia cui papa Romanus praeest fere eadem sit atque tota ecclesia militans,[2] non falso Wiclif aliis locis papam caput militantis

---

ex ignorancia quidam vocant datam particularem congregacionem universalem ecclesiam, non putantes esse ecclesiam ampliorem. — Sic quidam maniaci putant quod non sit fidelis in terris nisi sit eis seculariter subiectus, cum tamen stat quod sint multe gentes ignote linguis priores illis in ecclesia sancta Dei. Quando ergo doctores sic loquuntur ex circumstanciis, potest perpendi equivocacionis sue deteccio, ut vocando episcopum Romanum caput universalis ecclesie intelligitur quod sit caput tante Latine ecclesie quantam regit. Quod reputative vel suppositive potest dici de quocunque Romano pontifice cuius opera papalia ad hoc movent. Sed ne laboraverim in istis equivocis, limitavi ad universalem ecclesiam, distinctam contra particularem, que quidem universalis est unica, habens omnes alias eius partes. Nam sunt multe tales particulares ecclesie: ideo decreta ecclesie et sancti doctores non debent vocare illam particularem et pauperem ecclesiam sic artatam in angulo ecclesiam sanctam catholicam. Verumptamen si papa ut olim regat illam secundum legem Christi principaliter et capitaliter tam in moribus quam in dubiis decidendis, tunc cum suo collegio potest dici virtualiter universalis ecclesia in effectu. Sed hec est solum per accidens dependens ab opere et non a nudo nomine. Unde (ut dixi superius) solus Christus potest esse caput ecclesie sancte catholice.

1) Eccl. p. 31: Ideo dicunt doctores periciores quod dominus papa non est caput universalis sed particularis ecclesie, dum tamen perseveranter vixerit tamquam papa, sicut dicit septima conclusio capituli proximi; et sic videtur concedendum quod de possibili sit papa ipso superior hic in terris.

2) Eccl. p. 96: Et sic potest intelligi papam esse caput universalis ecclesie, vel in quantum ministratorie propinquius gerit ministerium Christi quem induit,

ecclesiae quae quidem versetur in mundo appellat, ut, cum Christus regat ecclesiam universalem et in caelo et in purgatorio et in terris, papa illi tertiae parti ecclesiae militanti ut iudex vel vicarius praesit.

Qua de causa illa ecclesia militans non ob id Romana appellatur quod papae Romano subdita est. Sed scivit Christus gentes Romano imperio subiectas Judaeorum loco ecclesiae esse inserendas. Deinde Romae maior multitudo martyrum triumphavit quam in alia civitate. Denique nomine Romae quo ecclesia Hierosolymis Antiochia aliis civitatibus relictis postremum pervenit, christiani admonentur non loco gentes, sed gentibus locum sanctificari.[1] Itaque cum ecclesia Romana sit et in Anglia et in omni gente et lingua dispersa ubicumque fuerit fidelis christianus, eorum sententia reiicienda est, qui ecclesiam Romanam nihil aliud esse putant nisi *papam cum cardinalibus ac sua familia.* Quin etiam ne eo loco quidem

---

vel secundo equivocando in universali, universaliori et universalissimo intelligatur per universalem ecclesiam tota ecclesia militans quam hic regit; que debet supponi extencior quam alia militans cui vicarius eius preest. Melius tamen foret inniti modo loquendi scripture et instar apostolorum vehemenciori ac humiliori ministerio totalis ecclesie propter blasphemam ydolatriam precavendam. Nam dum papa non supereminet quoad Deum, sed appreciatur honorem secularem plus opere servili ecclesie, tunc facit populum non adorare eum, sed statum communem in alio ad sui dedecus et ypocrite detrimentum. Et ita ecclesia Romana potest sumi tripliciter: vel pro ecclesia catholica, vel pro papa, vel coniunctim et divisim pro suo collegio. Sed hec duo membra postrema sunt extorta.

1) Eccl. p. 15 sq.: Quamvis enim ecclesia cepit a Judea et Christus caput ecclesie fuit martirizatus in Jerusalem, tamen racionabiliter vocata est ecclesia Christi secundum quandam preeminenciam propter tria: Primo quia Christus scivit gentes sub Romano imperio loco Judeorum infideliter „discredencium inserendas“, sicut dixit apostolus Rom. XI°, 23. Secunda causa est, quia maior multitudo martirum ibi triumphavit quam in alia civitate; sic enim ubi homo nascitur ex utero et triumphat gloriose, nomen abhinc contrahit. Cum ergo persona universalis ecclesie secundum multas partes suas ibi nascebatur, segregata ex utero synagoge, et ibi triumphavit crescens in gentibus: ideo fuit consonum quod caperet nomen a civitate metropoli gencium que est Roma. Tercia causa est, ut notetur quod non locus sive antiquitas sed fides formata fundet Christi ecclesiam. Nam quoad personam et quoad tempus prius fuit ecclesia Christi in sedibus prioribus et ad sensum istum dicitur II°. Mach. V°, 19, quod „non locus gentem sed gens locum sanctificat“.

quo papa versatur semper ecclesiam esse necesse est, cum papas quosdam se non ecclesiae membra esse maculis rugisque testari supra demonstraverimus.[1]

Id enim omnibus observandum est qui haesitant utrum papa sit praedestinatus an alius particularis ecclesiae caput ei praeferendum sit, verum papam bonis operibus se praestare necesse esse. Nam qui illis ornatus est papa, eum pro parte praecipua ecclesiae militantis, pro capite ecclesiae Romanae haberi licet.[2] Bonis autem operibus floret is papa qui vivit et docet secundum legem Christi,[3] i. e. qui neque possidet divitias terrenas neque dominationem civilem quaerit.

Quamobrem praecipue de illis regionibus agendum est, quae a Constantino, ut narratur, Sylvester papa olim dono acceptae usque ad illud tempus a Sylvestri successoribus possidentur. Qua in re facile intelligitur imperatorem propter superbiam tanta liberalitate fuisse, cum sollemnitate divitum sacerdotum ipse vellet excellere.[4] Atque nihil interest per-

---

1) Eccl. p. 86 sq.: Et illam ecclesiam vocat postmodum „ecclesiam Romanam, primam apostoli Petri sedem, non habentem maculam neque rugam". Ista ecclesia non potest intelligi dumtaxat iste papa cum istis cardinalibus ac sua familia, cum ipsi cotidie recedunt et veniunt et crebrius quam alius fidelis populus sunt rugosi. — Et sic intelligo decretum XXIV^a^, q. 1: „A recta", ubi canon de Romana ecclesia sic loquitur: „Hec est sancta et apostolica mater omnium ecclesiarum Christi ecclesia que per Dei omnipotentis graciam a tramite apostolice tradicionis nunquam errasse probatur nec hereticis succubuit". Ubi notum est hoc non posse intelligi de quolibet papa et suis domesticis. Ideo glosa sic loquitur: „Quero", inquit, „de qua ecclesia hic loquitur", quia non potest intelligi de papa qui dicitur ecclesia, ut supra eodem, „Quodcunque", et VII^a^ q. prima: „Scire debes". Sed certum est quod papa errare potest (ut XIX^a^ dist. „Anastasius" et XL^a^ dist. „Si papa"). Ideo nec ipse nec eius familia est illa ecclesia de qua hic dicitur quod errare non potest.

2) Eccl. p. 37 sq.: Sed benedictus dominus matris nostre qui nostre peregrinanti iuvencule diebus istis providit caput catholicum, virum evangelicum Urbanum sextum qui rectificando instantem ecclesiam, ut vivat conformiter legi Christi, ordinatur ordinate a se ipso et suis domesticis.

3) Eccl. p. 563: Christus autem humanitus reliquit testamentum suum in terris per quod voluit suam ecclesiam regulari, nec voluit quod crederetur alicui Petri vicario, nisi de quanto vivit et docet conformiter illi legi.

4) Eccl. p. 195 sq.: Sed scio quod prior status fuit perfeccior, et scio quod donacio si fuit privilegium fuit facta a Christo, et scio quod nos debemus uti hiis temporalibus sicut illi usi sunt, quia aliter excidimus a privilegio per abusum. Si ergo volumus sequi sanctos confessores, arguamus per locum

quirere peccaveritne Sylvester, cum illud donum a Constantino acciperet necne. Neque malam rem ob id pro bona haberi licet quod a papa facta est. Constat autem illam donationem ecclesiae non utilitati fuisse, sed priorem ecclesiae statum fuisse perfectiorem quam praesentem. Videri enim cum illa donatione *non stare* nec *laureolam martyrii* nec paupertatem nec desiderium patriae caelestis nec securitatem sequendi Christum ad caelum ducentem.[1] Quamobrem necesse esse videtur papam non minus ac ceteros clericos illi donationi renuntiare atque eius *bona sub forma elemosine perpetue accipere.*[2]

---

a sufficienti similitudine sequendo eos in affeccione et usu temporalium concessorum, et conformiter videtur probabile in republica de Cesare et ceteris mundi principibus quod laborarunt peccato superbie, volentes in republica solempnitate sacerdotes suos excellere et nomen suum in mundo extollere Et sic potuerunt melius fecisse defendendo religionem quam Christus instituit. — Cf. Trial. p. 297: Sed ex fide scripturae videtur mihi sufficere, esse presbyteros atque diaconos servantes statum atque officium quod Christus eis imposuit, quia certum videtur quod superbia Caesarea hos gradus et ordines adinvenit; si enim fuissent necessarii ecclesiae, Christus et sui apostoli non in expressione eorum ac detectione sui officii reticerent, sicut blasphemant illi qui papalia jura magnificant supra Christum.

1) Eccl. p. 194: Nam videtur multis quod laureola martirii qua milites Christi plus strenui decertarunt in floribus ecclesie, convertendo tam expedite tantum populum, non stetissent simul subiecto et tempore cum dotacione cesarea, nec tam abiecta paupertas, calcato mundo, submisso clero Christi consilio, voluntarie paciendo, nec tanta aspiracio ad bona patrie contempta confidencia in bonis fortune vel bonis nature, et per consequens non fuisset tanta status securitas sequendo Christum per compendium arte vite que ducit ad celum. Nam omnia ista quatuor cum suis correlativis videntur esse dotacioni terrene contraria.

2) Dial. p. 63 sq.: Item suppono quod clerus propter cupidinem horum temporalium velit dotacionem dimittere et sub forma elemosine perpetue bona ista accipere et sic redit idem clericis quo ad fructus. Istud autem est multis inevidens cum tunc caderet a titulo quem silvester a cesare acceptavit, nec veritas perpetue elemosine in anglia salvaretur cum defendere non posset quin propter multa et magna peccata que perpetraverat sepius cadebat a titulo elemosine, cum non sit elemosina taliter apostatas enutrire. Immo non docetur vel evidenter ostenditur quod talis donacio unquam fuit elemosina voluntati divine conformata, quomodo ergo fingerent quod sit pura et perpetua elemosina? Numquid credimus quod sit in potestate istorum hominum perpetuare talem elemosinam cleri sui ac si dicerent contra Christum, ego volo quod sit elemosina quomodocunque vixerint et fuerint contrarie legi tue, vel ego volo quod

Cum autem illam donationem possidentes aliis quoque in rebus illius aetatis papae legi Christi resisterent, mirum non est, quod Wiclif non modo Clementem, sed etiam Urbanum recte electum neque papam aut membrum ecclesiae et omnium calamitatum fontem esse contendit. Quamquam inurbanos modo illius temporis mores secutus posteris annis nullo alio nomine nisi Antichristi ob id appellat, quod impudenter legem Christi papa violet. Numquam autem id egisse videtur, ut papatum ipsum aboleret. Nam etiamsi docet *totum papale officium esse venenosum,* cum papae nihil aliud esse dicat nisi *officio pastorali* fungi et *tamquam militem precipuum in acie spiritualis pugne* bene *precedere*[1] vel admoneat in scriptura non fieri papae mentionem,[2] tamen cum difficile cogitari potest id quod in Tractatu illo de Ecclesia fusius explicaverat, papam esse ecclesiae Romanae caput, postea ab eo ipso radicitus eversum esse tum Trialogo illo acerbissimo libro comprobatur Wiclifium postea non aliter de papatu ipso cogitasse atque antea, quamquam utriusque papae malitiis valde offendebatur. Fideles papae ut Jesu vicario obtemperare, papam autem Christi et apostolorum limitibus coerceri i. e. temporalibus rebus renuntiare atque cum facile errare possit semper ex scriptura docere necesse esse neque amoveri prorsus papatum sed emendari et a maculis purgari Wiclif semper iussit.[3]

---

vivat ad edificacionem ecclesie Christi utiliter, quia indubie sic vult deus, ergo mea volicio est impleta.

1) Serm. IV, p. 195: Et sic breviter totum papale officium est venenosum; deberet enim habere purum officium pastorale et tamquam miles precipuus in acie spiritualis pugne virtuose precedere et posteris ut faciant similiter exemplare. Sic enim fecit Christus in humilitate et passione et non in seculari dignitate vel ditacione.

2) De ordinatione fratrum c. IV (Pol. Works I, p. 101): De papa autem et cardinalibus, monachis, canonicis atque fratribus non recolo, quod sit mencio in scriptura. Concedo tamen, quod deus wlt esse ordinem clericorum, quia wlt, quod unus sacerdos sit reliquo superior atque episcopus, sed non wlt, quod illa superioritas penes maioritatem mundanam vel mundi divicias attendatur, sed penes maioritatem gradus ministerii humilis secundum legem, quam Cristus docuit.

3) Trial. p. 447: Quis igitur rationis compos et non omnino seductus versutiis antichristi non quietaretur in isto responso triplici? primo quod fideles regnorum volunt in mensura fideli obedire papae tanquam vero vicario Jesu Christi; secundo quod lapsus antichristi in isto est facilis, ut patet de

Itaque Wiclif qui primo, cum ex sua de praedestinatione doctrina papatus auctoritatem aliquanto minuere videretur, vehementissime se opposuerat iis quae Thomas de illo docuerat, postremo quamquam qui tum eo fungebantur quasi speciem esse Antichristi putabat, tamen illum abolendum esse omnino non censebat, sed id tantum postulabat, ut mores paparum emendarentur ipsique se continerent suis finibus.

Quaeritur denique quam optimam ecclesiae constituendae formam Wiclif putaverit consequendam. Quamquam enim de hoc accuratius disserere neque in proposito nobis est, cum de notione tantum ecclesiae hoc loco agere instituerimus, neque possumus quaestionem ad finem perducere priusquam illa de dominio volumina emissa sint, brevi tamen de illa dicamus. Nam licet suam de ordine et de papatu doctrinam obtinendam censuerit, tamen negari non potest de ecclesiae constituendae forma eum theologorum sententiis tum vulgatis vehementer restitisse secutumque esse eos qui illis temporibus reformandam ecclesiae formam esse putarent.

Nam inde ex Augustini temporibus valebat opinio eorum qui ecclesiam esse theocratiam censerent i. e. civitatem ab ipso Christo gubernatam cui civitas temporalis, quippe quae esset origine terrena et mala, subiicere se deberet et servire. Cui statui, quem comparat cum Iudicum temporibus Veteris Testamenti aristocraticumque appellat, quamquam summam praestat reverentiam, tamen obtinendum eum esse omnino negat. Nam cum ex peccato praeter vitam contemplativam exstiterit vita activa, necesse est praeter regimen naturale quod consentaneum est manere in ecclesia, in rebus mundanis exstare regimen regium. Quod cum sit origine venenosa, tamen

---

contentione paparum, quam habemus in manibus; nolunt ultra exactiones paparum sufferre, sed tenere se in limitibus, quos servavit Christus cum suis apostolis. Unde valde suspecta foret exactio, qua papa vel aliquis praelatus ecclesiae exigeret temporalia et mutesceret quoad spiritualia fundabilia in scriptura, cum, si sic faceret, foret indubie „filia sanguisugae". Et tertio cum papa in condendis suis legibus posset errare faciliter tanquam nequior antichristus, et lex Christi est per se sufficiens, petunt fideles regnorum, quod papa doceat, quidquid petit vel praecipit esse rationabile ex scriptura. — Si igitur istae duae extremitates ecclesiae malignantium, papa et fratres, fuerint emendatae, tunc foret facilius medios errores corrigere, et statum ecclesiae ad ordinationem Christi pure secundum legem suam reducere, quod attendere desidero.

Deus id admisit itaque est et rationale et salubre.[1] Itaque nunc quaerendum nobis est, quaenam intra sacerdotes et reges intercedant rationes.

Qua in re illud meminerimus, omnia utique referenda esse ad legem Dei, quin etiam contineri ecclesiam iis, qui observant legem Dei (p. 65). Quae ubi negligitur a regibus, sapit civile dominium peccatum, id quod supra (p. 88) vidimus, sacerdotesque ex *auctoritate dei* vel *communi auctoritate ecclesie* potestatem habent reges ad legem Dei observandam admonendi.[2] Soli enim sacerdotes facultate praediti sunt legem Dei accurate et diligenter observandi (p. 77 sqq. 90).[3] Quod si revera facerent, regibus superiores essent. Sed cum adeo non vivant conformiter legi Dei, ut possessionis dominationis rerum mundanarum sint cupidissimi, ne superiores quidem esse possunt regibus.[4]

1) Cf. de civ. dom. I, c. 27

2) De officio regis p. 197: Sacerdos autem potest auctoritate dei regi precipere ut compleat legem suam, cum prima Thimo. VI mandat apostolus „divitibus huius seculi" precipere „non sublime sapere". Sed hoc solebat censeri factum communi auctoritate ecclesie quousque proprietas in clero fuit gentiliter introducta.

3) De off. reg. p. 140 sq.: Potestas autem humana vel est secularis, vel ecclesiastica, vel spiritualis simpliciter; et sic est potestas circa quam est contencio bipertita, scilicet vel quo ad temporalia vel quo ad spiritualia, et utrumque membrum subdividitur divisione multiplici. Primo modo est potestas regis, qui est dei vicarius, antecellens, ut suasum est; sed secundo modo debet potestas sacerdotalis precellere, cum debet habere maiorem graciam servando in se statum perfecciorem in hoc quod vivit Cristo conformius.

4) De off. reg. p. 14 sq.: In vicariis autem Cristi, sicut necesse est istas duas dignitates dividi, sic oportet earum maioritates distingui. Alia est enim maioritas vel honorificencia sensibilis quo ad mundum, et alia est maioritas insensibilis et abscondita quo ad deum. Prima autem subdividitur secundum racionem duplicem clericalis officii et officii domini temporalis. Et iste honor qui fundatur appropriate in potestate et seculario dominio competit singulariter domino seculari. Secunda vero maneries, fundata in virtutibus clericalis officii, competit sacerdoti. Unde si non esset necesse dotacio ecclesie, affeccio primatus, et iurisdiccio humanitus introducta, sacerdotes contentarentur de secundo modo honoris, despicientes in se primum sicut fecerunt apostoli, et tunc racione superioritatis vite et maioritatis virtutis foret dignitas in Cristi pontifice maior quam dignitas terrena in vicario suo rege, et sic intelligende sunt leges et sanctorum auctoritates. — p. 197 sq.: Nec contendo, sed concedo quod multa fiunt auctoritate episcopi. Sed deus

Atque iam supra (p. 52) vidimus Wiclifium ordines regum et militum comparare cum ordine sacerdotum. Reges autem illos Wiclif docet item atque sacerdotes ab ipso Deo esse institutos,[1] in Christo regalia et sacerdotium exhiberi,[2] in scriptura et apud patres utraque probari.[3] Sed cum non raro fiat, ut sacerdotes reiiciant vitam exproprietariam, reges autem vivant secundum legem Dei, hi superiores fieri possunt, cum praesertim hi se accomodent ad id, quod superius est in Christo, deitatem, illi autem tantum ad id, quod inferius, humanitatem.[4] Gravissime igitur reges dicit

scit quando talis proprietatis declamacio sapit falsum. Non enim fit quidquam propria auctoritate episcopi nisi fiat propria auctoritate Cristi, qui episcopum illum indurat et sibi communicet potestatem. Et ita videtur quod multis non dat auctoritatem, et a multis propter eorum imprudenciam vel abusionem revocat potestatem.

1) De off. reg. p. 144: Certum itaque est quod a deo qui semper fuit imperator et sacerdos, licet prius fuerat imperator, processit utrumque officium, dicente decreto pape Innocentii XXIII. q. IIII^a^ „Quesitum est". — Teneamus igitur quod deus immediate per se instituit utramque potenciam sine hoc quod una reliquam instituat vel eciam auctoriset.

2) De off. reg. p. 14: Hic dicitur quod in Cristo regalia et sacerdocium, sive secundum divinitatem sive secundum humanitatem, habent racionem paritatis in gradu dignitatis Aliter racio regalie et racione sacerdocii prestancior. In cuius figuram Melchisedech, qui secundum apostolum figuravit Cristum ad illam duplicem dignitatem, habuit Genes. XIII. prepositum nomen regis, et eandem formam verborum servat apostolus Hebr. VII. Est enim racio regis in Cristo racione sacerdotis generalior, cum prius, communius et quo ad tempus extensius regit suam fabricam quam benedicit.

3) De off. reg. p. 1: Oportet ergo inprimis capere quod potestas regum et militum sit ex fide scripture canonisata et testimonio sanctorum doctorum multipliciter approbata. Nam caput ecclesie in persona propria solvit didragma Cesari Matth. XVII, et precepit que sua sunt sibi reddi Matth. XXII. Unde a tribus regibus voluit in suis primordiis adorari Matth. 2^0^, et a militari ordine sepelliri Matth. XXVII. Princeps eciam apostolorum I. Petr. 2^0^ docet suos conversos quomodo servarent obedienciam et pacienciam inter gentes. „Subiecti", inquit, „estote omni humane creature propter deum": non dicit propter mundum vel comodum temporale. Et post pertinenter explicans ordinem subieccionis in tota universitate humani generis sic subinfert: „Sive regi quasi precellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum".

4) De off. reg. p. 137: Difficile videtur arguere quod auctoritas papalis sit perfeccior quam auctoritas imperatoris ex hoc quod status est perfeccior. Sic enim foret cuiuscumque sacerdotis quecumque auctoritas perfeccior

esse vicarios Dei,[1] sacerdotes autem vicarios Christi.[2] Mittimus hoc loco, quae sint officia regis ut hominis, patris familias (qui etiam clericorum domesticorum curam debet sustinere), regis.[3] Hoc nobis quaerendum videtur, qualem omnino se praebere debeat adversus sacerdotes. Quo in genere cum hoc sit eius officium, ut legem Dei defendat et observet,[4] id potissimum ei imponitur, ut sacerdotes admoneat ad observationem legis Dei, i. e. paupertatem et humilitatem. Rex autem sacerdotibus praebet stipendia,[5] itaque, sicubi

quam regis auctoritas cui subest. Ideo videtur mihi probabile quod regalis auctoritas precellit auctoritatem sacerdotalem secundum racionem multiplicem. Primo quia illa habet similitudinem vicariam deitatis, et sic vindicandi potestatem; auctoritas autem sacerdotalis habet similitudinem vicariam humanitatis Cristi, et sic racionem paciendi iniuriam.

1) De off. reg. p. 4: Rex enim est dei vicarius quem proximo dictum est esse timendum, ideo necesse est sibi servari honorificenciam in eius vicario, et per consequens, non obstante quod sit frater noster, differenter ab aliis fratribus honorari. — p. 58: Sed pro tercio notandum quod licet rex non possit equiperari deo in regimine regni sui, tamen cum sit dei vicarius debet facere cum regno suo proporcionaliter quantum potest. — p. 80: Et tercio idem confirmantur ex hoc quod rex debet esse propinquior dei vicarius et ei similior. — p. 104: Rex, cum sit dei vicarius, debet proscribere quemcumque talem apostotam sibi et regno inobedientem. — p. 197: Modicum itaque est quod sacerdotis servicium subiaceat regie potestati cum corpus illi subiaceat. Verumtamen si rex haberet ex se talem auctoritatem imperii tunc foret potestatis maioris simpliciter sacerdote. Nunc autem non habet illam potestatem nisi ad tempus atque per accidens, tanquam dei vicarius. — Cf. p. 14: Et ideo secundum Augustinum nomen regis secundum quandam prioritatem originis, vel saltem secundum formam exemplacionis, competit deo patri.

2) De off. reg. p. 14: Vide supra p. 101 n. 4.

3) De off. reg. p. 46: Et patet quod eius officium stat in tribus, scilicet in regendo personam propriam in quantum homo, in regendo suam privatam familiam in quantum pater familias, et in regenda suam rem publicam in quantum rex. Quantum ad omnia ista simul patet quod omnia illa reducuntur ad unum analogum quod est Deo servire comune cuilibet creature. — Cf. p. 49 sqq. p. 55 sqq. — p. 52: Tercio vero notaret rex de clericis eius domesticis quod sint ydonei et diligentes ad suum officium exequendum. Ydoneitas stat in sciencia et virtute, oportet enim omnes sacerdotes Cristi et precipue episcopos cognoscere legem Dei

4) De off. reg. p. 78 sq.: Officium dominorum temporalium et regum precipue est legem ewangelicam potestative defendere et ipsam in sua conversacione diligencius observare.

5) De off. reg. p. 138: Item excellencior est illa potestas que habet im-

priore aetate clerici cum suo ipsorum incommodo nimis opulentis bonis fruebantur, nunc reges id ita compensare debent, ut beneficia illis demant.[1] Porro rex clericorum mores regit[2] et patroni iure in omnibus parochiis fungens providet, *ut in* omnibus *ecclesiis parochialibus resideant curati qui sunt docti et animati in officio pastorali.*[3] Et cum *sciencia theologie* plurimum valeat ad *stabilimentum regni*,[4] theologicae facultates diligentissime spectandae sunt regi.[5] Quin etiam

---

perare vel mandare quam est potestas que tenetur ad hoc humanitus obedire, sed potestas episcopalis tenetur humanitus obedire regie potestati, non sic e contra, ergo potestas regalis est ad hoc prestancior. Rex enim, cum dat episcopo suo largum stipendium ad perficiendum suum officium, videtur quod habet potestatem precipiendi execucionem illius officii. — p. 181: Patet quod rex habet potestatem in casu capiendi in manus suas omnes patronatus ecclesiarum parochialium regni sui, et per consequens ad omnes illas promovere habiliores theologos, hoc enim debet fieri secundum iura ecclesie; ideo si regnum suum fraudetur in isto fulcimento regni precipuo, sive per curiam Romanam vendentem indignis ecclesias, sive per abbates aut alios cleri prepositos presentantes confederatos suos inhabiles, ad regem pertinet virtute iuramenti sui errores huius [modi] extirpare.

1) De off. reg. p. 213: Rex autem Anglie non est seculariter subiectus Cesari, qui est dominus pape nostri. Ideo licet sibi, et debet, elemosinas suas corrigere et ecclesiam suam, cum sufficit, ad statum perfeccionis pristinum revocare. Ad hoc autem eventus seculi alludit, si cernimus. Progenitores, inquam, regum Anglie irreligiose et stulte dotarunt ecclesiam. Ideo illorum est defectus patrum corrigere.

2) De off. reg. p. 152: Ulterius restat detegere tres leges que forent regibus ad stabilimentum regni et episcopis ac ecclesie ad tutelam. Prima quod episcopi necessitentur in sua diocesi secundum formam legum ecclesie ad statum cleri sui attendere, defectus cleri corrigere, iniurias emendare et virtutes eorum secundum debitum premium comendare.

3) De off. reg. p. 163: Secunda lex est unde redderetur regno stabilitas quod rex ordinet per suos episcopos ut in cunctis suis ecclesiis parochialibus resideant curati qui sint docti et animati in officio pastorali.

4) De off. reg. p. 72: Et ex istis colligitur quod sciencia theologie est pernecessaria ad stabilimentum cuiuscumque regni, et per consequens rex in quantum huiusmodi debet habere theologos ad regni sui regimen se iuvantes. Debet enim rex omnis, quantum sufficit, semovere a regno suo hereticos, quod non faceret prudenter nisi secundum doctrinam et iudicium theologorum qui sciunt quod solum illi sunt heretici qui sunt scripture sacre, que est lex dei, contrarii. Unde omnes predicti tyranni imposuerunt membris Cristi quod erant heretici. Ideo, deficiente illis regimine et doctrina theologie, incidebant et ipsi in heresim.

5) De off. reg. p. 176 sq.: Tercia lex regnum stabiliens foret

adeo diffidit Wiclif clericis ut rerum mundanarum et dominationis nimium cupidis, ut doceat licere regi intercedere disciplinae ecclesiasticae, et si quis immerito vel improvide sit excommunicatus, eum restituere.[1]

Quae cum ita sint, primum humiles se praestant sacerdotes, cum utique, etiamsi non ab ipso rege elemosinas recipiant,[2] subiectos se ei sentientes legibus rei publicae oboediunt neque ulla vota permittunt praeceptave dant quae illis sint contraria,[3] et si quando in angustias deducitur patria, auxilia sua non abnuunt.[4] Nam iidem paupertatem secuti omne possessionum genus reiiciant. Antiquitus enim clerici ita res suas augere

dilatacio, defensio et rectificacio theologice facultatis. Nam iuxta leges priores necesse est regnum habere theologos ad conversandum in fide Cristi et ad regulandum in eadem fide suas parochias. Sed ista exigunt continuacionem theologice facultatis, cum sine ipsa, ut dictum est, non est possibile regnum stare. Per ipsam enim fama regis extenditur, per ipsam subditus de recta obediencia deo et suis prepositis informatur; per ipsam versucia diabolica, qua anticristus nititur seducere laicos, declaratur; et breviter quecunque alia sciencia nisi de quanto ministratorie ad ipsum properat est inutilis, et per consequens proscribenda.

1) De off. reg. p. 227 sq.: Et super isto fundo me quod nec credo omnem excomunicacionem quam eciam papa intulerit esse iustam, nec approbo excomunicacionem simpliciter nisi noverim quod persona excomunicatur aput ecclesiam triumphantem. Patet 3⁰ quod regum est cavere precipue de excomunicacionibus suorum episcoporum ne improvide inficiant gregem suum. Mora enim excomunicandi non includit periculum ubi excomunicacio improvida officit quaquam versum.

2) De off. reg. p. 71: Unde quicunque clerici inhabitantes solium regni nostri, supposito quod vivant pure exproprietarie non recipientes a rege elemosinas perpetuas, ad huc debent obedire et subici in quantum incole terre regis, cum rebelles potest et debet proscribere.

3) De off. reg. p. 104: Non enim licet vovere vel statuere quidquam contra statutum domini vel ius regis. Item quod pena infligenda sit gravior videtur ex hoc quod rex, cum sit dei vicarius, debet proscribere quemcumque talem apostotam sibi et regno inobedientem, vel negare sibi corporale regni sui suffragium, quod foret maior pena quam spiritualis prepositus debet sibi infligere, quia solum auctoritate regia debet regis legios sic punire.

4) De off. reg. p. 97: Nec obest istis, sed consonat, quod rex in tempore necessitatis sui aut regni capiat tam a laicis quam a sacerdotibus suis, cum discrecione tamen, temporalia tamquam sua.

consueverant, ut pios homines legata vel dona ad Christum vel Mariam aliosve sanctos deferre iuberent.[1] Qua de re ne verbum quidem apud Wiclifium inveniri quid est mirum, quippe qui velit nullam omnino possessionem perpetuam habere ecclesiam, sed ex solis eleemosynis vitam sustinere?[2] Quae sententia tanti momenti ei videtur esse, ut ei exponendae et defendendae totum fere Supplementum Trialogi adhibeat. Qua in re praeter Defensorem illum Pacis nullus fere medii aevi scriptor tam longe quam Wiclif est progressus.[3]

Quamquam ceteris in rebus Wiclif mirum quantum discrepat cum Defensore Pacis.

Nam primum quae antiquitus fuerunt conservanda censet et ea tantum reiicienda, quae in ecclesia certe mala sunt et legi Dei repugnantia. Quamobrem nullo loco dicit de primatu papae funditus tollendo quem Defensor Pacis obtineri non posse ex rebus gestis demonstrari contendit, cum praesertim Petrum Romae versatum esse fictum sit omnesque constet pares fuisse episcopos.[4] Neque plus perhibet de amplis singularum ecclesiarum privilegiis quibus solis sit potestas sacris interdicendi.[5] Nihil denique docet de communi concilio quod compositum ex clericis et laicis summum habeat iudicium de fide et cui liceat papam sibi praeponere.[6]

Sed multo magis deditus erat theologiae suaeque ecclesiae quam ut ita absorberi pateretur ecclesiam civitate temporali ut Defensor Pacis oportere contendit cum regis esse dicat constituere numerum sacerdotum eodem modo atque aliorum magistratuum,[7] singulos sacerdotes et eligere et instituere, punire et amovere,[8] concilia denique convocare,[9] id quod universitas credentium et invocantium nomen Christi[10] detulit ad principes. Atque religione potissimum et pietate, qua ecclesiam putabat

1) Gierke, l. c. II, p. 527 sqq.

2) Cf. potissimum Trial. IV, c. 17. Suppl. Trial. c. 1. 2.

3) Gierke, l. c. III, p. 536 sq.

4) Defensor pacis (ed. [Goldast] Monarchiae S. Rom. imp. etc. tom. II, 1614) II, c. 15. 16 p. 238 sqq.

5) ibid. II, c 6 p. 208.

6) ibid. II, c. 18. 22. p. 253. 263 sqq.

7) ibid. II, c. 8. p. 213. — 8) ibid. II, c. 17. p. 246 sqq.

9) ibid. II, c. 21. p. 258 sqq. — 10) ibid. II, c. 2. p. 193.

esse corpus praedestinatorum commotus est, ut quae doctrinae in ecclesia vulgatae repugnantia docebat omnia referret ad ipsam theologiam neque incideret in illa quibus Defensor Pacis laborabat vitia. Neque enim magis quam decretistas sequebatur iuris consultos.[1]

1) Dial. p. 93 sq.: Ideo tres maneries hominum quantum ad artem suam attinet sunt ydonei in materia ista arguere, primo decretiste qui pure legibus papalibus innituntur, quia quid in materia ista dixerunt non valet sed est contempnendum, constat enim de quanto racioni consonat vel scripture. Secunda maneries hominum loquencium in ista materia sunt legiste, quia lex imperialis a fidelibus non accipitur in ista materia nisi de quanto consonat racioni. Tercia maneries hominum subtiliorum loquencium in ista materia sunt iuriste regnorum, qui licet sepius prepolleant racione non valet tamen ipsorum loquela in ista materia, nisi de quanto sagittent racione que consona est scripture.

Typis Ackermannii & Glaserii. Lipsiae.

Typis Ackermannii & Glaserii. Lipsiae.